VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 L
26

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-20, c 59
26 ~~28~~
D ~~D~~
7 ~~58~~

# LAELII MANCINI
# POLITIANI
## ANTECESSORIS
## PONTIFICII.

*AD INSIGNES DECRETALIVM TITVLOS; ET NVNC PRIMO.*

## DE
## CONSTITVTIONIBVS
## Prælectiones.

*E Piſano Lyceo Pontificij, Cæſareiq; Iuris cupidæ iuuentuti conſcriptæ.*

BIBL.SEC.COL.ROM.SOC.IESV
IHS



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

FLORENTIAE, M.DC.XXII.

Apud Petrum Cecconcellium. *Superior. permiſſu.*
AD MEDICEA SYDERA.

Perilluſtri, ac Reuerendiſs. D.

# D. HIERONYMO A SVMMAIA.

*VTRIVSQ; SIGNATVRAE REFER. Eccleſiæ D. Stephani, Piſaneq; Academiæ Præfecto.*

## L. ÆLIVS POLITIANVS. S.

*Miraberis. Reuerendiſs. Præſul, me concepta pridem Inſtitutionum Imperialium interpretamenta, congeſtasq; dudum circulares controuerſias luci ſubtraxiſſe, vt abortum hunc Pontificij Iuris ederem. facturus ne opere præcium ſim, poſce conſilij rationem. Multis, multiq; nominis Interpretibus abundant Cæſarum Iura, quorum inopia laborant Pontificia decreta, vt quæ magis diuinæ ſcientiæ nitore, quam Iuriſprudentiæ nitedulis vt plurimum innoteſcunt. Habent,*

*fateor, Ciuiles leges ſine lege Interpretes complurimos, ſed multo plures Canonica iura haud ſatis canonice interpretãtur; illud quippe moralis Philoſophi proprium eſt, hoc Theologi quoque, vtrumque literati hominis. Illud planè volui, quod peritiores pro munere debere intelligo, abſit enim vt meis hiſce interpretationibus Pontificium ius ditaſſe præſumpſerim, aut ſperauerim; euntibus calcaria ſubdam, vel (quod ait Lyricus) fungar vice cotis, quod .n. mihi vix obtigit, alij poſtmodum hoc ductu feliciter conſequentur, vt prudentum, ac Theologorũ dogmata Pontificiorum placitis adiungant, & quam ſolũmodo timui barbariem, velis ipſi remiſq; effugiãt. Pullulat hæc quidem eradicanda nuſquã. Iuriſprudentiæ limina hodie ingredimur, neq; aperit dialecticus penetralia illa, quibus Dei, naturæq; leges clauduntur, præterimus; Moralium dogmata aſpernamur, tẽporum documenta neſcimus; quid inde? Regina artium Iuriſprudẽtia eo venit, vt pediſſequa omnium ſit. Equidem omnes literarum ſtudioſos ex animo veneror, ſed laudo Iuris Interpretes, penes quos literarum honos aliquis eſt, ſcientiarum ue decus; quod ſi me arguat quis, ipſos legum conditores appello. Bone Deus, quot eæ ſunt, tot ſunt fœtus vere Philoſophiæ, nec deſunt notiones tẽporum, Poetarum obſeruationes, orationis grauitas, atque elegantia, plena diuinarum, humanarũq;*

*rerum notitia, experientia, vſus. Quid tu? inquies; placuit media quædam via, it ſæpe rumor ad aures.*

*Non cupit ornari res, quę eſt contenta doceri, multi ea ſolummodo putant Iuriſperito conuenire, quæ (aiunt) de pane lucrando ſunt; vtinam aliquando expleantur, emendicatiq; panis molem tantam conficiant, vt inurgentem liguritionem iſtam cũ pane ſalubriter vomant, ſileantq;. Proh pudor, iam nihili faciemus eos, qui literis pene intermortuis, altaue caligine conſepultis lucem, animamq; reddidere? Sed ne his quidem diſplicuiſſe oportuit; ſi quos audias, iube Præſul, ſibi omnem, quam mea hæc redulent, barbariem ſumere, ſitimq; explere. Cæterum ſcientiarum arcana miro animi deſiderio proſecutus ſum, quantum licuit; quidpiam ne adſecutus vereor. Profiteor nunc Pontificij Iuris inſigniores materias, inter quas primum, ac principem locum obtinet, quæ tibi nunc ab hilari animo, faciliq; manu. Excogitaueram profecto noua quadam ſerie, ac methodo mea hęc qualiacunque diſponere, ſed obſtitit inuïdia. Aurigam mihi volui Abbatem Panorm- hoc eſt Ducem, qui me dirigat, & Magiſtrum, qui me doceat, non Tyrannum, qui mihi imperet; ſi quid peccaui, communis vtilitas in cauſa eſt, quæ prius animo ſedit. Tu vero operum primitias habes ab immatura ætate, infœcun*

do

*do ingenio; ſed quid? vberior eſt nummus ex paruo, quam Theſaurus ex maximo. Quid autem poteras ſummis deuinctus officijs quoue Mecenatem meum agnoſcere, præterquam ingenij mercede? Hæc profecto eũ decet, qui nec minori dexteritate, ac prudentia, quam veneratione, atque authoritate percelebri Piſanæ Academiæ præſidens, omnium ingenia, quæ propemodum introſpexiſſe videatur, excitat, fouet, dirigit, ope conſilioq; iuuat, honoris, ac laudis ſuaui quodam lenocinio oblectat; Impar multis onus, qui vel illud fateri compellantur, literatorum Academiæ bene præeſſe laudabilius quodammodo videri, quã Cæſarea manu totius pene Orbis regimen tenere. Dum ergo Deum Opt. Max. enixe deprecor, vt quem Magni Etruriæ Ducis admirabilis prudentia tanto muneri præfecit, euehat ad maiora, oblatum munus libenti animo cape; Leidenſe quidẽ iſtud, & quod aiunt, craſſo filo, ſed munus ab ingenio, ingenijq; fœtus, quod Florentia bonę cuiuſq; indolis profectum Matre, Politianę Vrbis quaſi gremio longa ſerie exceptum Piſana Ciuitas excoluit, tuęq; præfecturæ ſumma cum liberalitate ditauit authoritas. Hoc ſi feceris, me hoc maiori deuinxeris officio. Vale diu. Piſis* kal. *Septembris. M. DC. XXII.*

*AD*

## AD EXCELLENTISS.
# LAELIVM MANCINVM
## I. V. D.
### *In eius librum de Conſtit. Ode.*

LÆLI vetuſtis orte parẽtibus,
Heroas inter quos coluit ſuos
Regina rerum Roma, quando
Romulidum memores loquuntur.
Faſti, Priores conſpicuos Toga,
Sæuiq; Martis ſplendida lumina,
Et LVCIOS, HOSTILIOSQ;
Magnanimam ſobolem dediſſe.
Quæ fuſa tandem clara per indytas
Propago terras, arbor vt aurea
Floræ nitiſcentis beata
Tecta libens tenuiſſe fertur.
Hac Vrbe DONVS conſpicua migrans
MANCINVS alto Montis in Vbere
POLITIANI collocauit

Ipſe

Ipſe ſuæ decora alta ſedis.
Quot inquietis te ſtimulis agit
Auita virtus? facta per ardua
Molire greſſum, & glorioſus
Spernis humum volitante penna.
Loquatur, edis quem Iuuenis, liber
Doctis legendus, tollit origines
Qui litigandi lance iuſta
Iuſtior, & miſeros tumultus;
Vindex auaræ fraudis heris ſuis
Opes reponit, quia velut Oedipus
Nodos reſoluit tortuoſos
Martis, & indomitos furores
Potens coercet, bellaq; triſtia,
Diraſq; clades Tartareæ Deæ
Quas inferunt, magni probroſis
Queis Populi pereunt ruinis.
Cedro linendum quiſquis opus legat
Crebra reuoluat quiſquis opus manu
Legum peritus pœnitere
Impoſiti haud poterit laboris.

Guidonis Vanninij. I. C.

# PRIMA PARS.

*IVS Can. cur ita appellatum.* 1
*Cui ſubalternetur, & quod eius ſubiectum.* 2
*Qui finis.* 3
*Qui ordo.* 4

DE Canonici Iuris nomine, definitione, ſubiecto, & fine ſolent nonnulla hic præfari recentiores Interpretes. Quidam etiam liberius philoſophati de habitu, ſubalternatione, atq. ordine diſſerunt, atq. hi quidem nedum hæſiſſe, vt plurimum in ſalebria, ſed anilibus quaſi tabulamentis riſum, deriſumve potius captaſſe videntur.

1 Equidem pro re paucam dicam. Canonicũ ius, quaſi Regulare ex eo appellatum, quod ex Regulis priſcorum Patrum ad recte viuendum inſtitutis deductum fuerit; etenim Canon Græce dicitur, Latine Regula c. canon 3. diſt. & de Canone plura habet Pau. Lancell. Can. Inſt. lib. 1. t. 1. in princ. & Calu. in lex. ex Cæl. Rhod. lib. 5. c. 11. Bud. in l. Princeps ff. de ll. & alijs, vt per eum. Vide Scrib. in c. 1. h. t. & l. priuilegia. C. de Sacr. Eccl.

2 Ad ſubalternationem vero quod attinet, Canonicam facultatem morali Philoſophiæ ſubalternari, aduerſus communem antiquorum Scholam tuetur nouiſſimè Did. Milia. non ineruditus Commentator hic p. 1. n. 9. quod ſatis probat Vlp. in l. Iuſtitia ff. de Iuſt. & Iu. ibi *veram, nec ſimulatam, ni fallor, Philoſophiam, &c.* Cum itaq. Moralis Philoſophiæ ſubiectum humana actio ſit, in qua natũ eſt refulgere honeſtum, & quod decet, profecto Iuris etiã Canonici idem erit ſubiectum cum ſua cõtractione, & qualitate, vt ſit humana actio, in qua natum eſt refulgere honeſtum, & quod intuitu ſpiritualis boni Chriſtianum hominem maxime decet. Vide Frãc. Picol. de Morib. introd. ad 10. Gra. c. 2. Panor. in proem. Decr. & quod perite docet Gloſa ad Lancell. ibid. ver. *actiones*. Sed nec illud im-

A probabile

probabile eſt, ſacræ Theologiæ ſubalternari, qua parte & praxim reſpicit, & mores,actuſq. hominum: vt collig.ex D. Tho. p.1. q.1. art.4. in corp.

3 Finis idem,qui in definitione exprimetur,vt in vlt. Apoſt. docuit ibid.Gloſat.ad Lancel. qui tamen elegantius in cõparat. vtriuſq. Iu. oſtendit finem omnium Iurium in cõſeruatione ſitum eſſe,finem autem noſtri Iuris conſeruationem hominis eſſe, vt Chriſtianus eſt, vitamq, aliã ſperat perpetuo duraturam. ex quibus definitio apta colligitur, vt illud ſit Canonicum Ius , *quod Ciuium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit.* Ibid.Lancell. §.1.

4 Ordo autem in cõfuſione ſtare videtur,uix.n.agnoſco veſtigium aliquod ordinis in Iure, quod ſi yllus emergat, analyticũ in puto, non compoſitiuum , vt plerunq. in artibus, quibus finis aliquis proponitur acquirendu s, aut efficiendus à nobis. Habes,quod de ordine Cęſarei Iuris non abſimili præclarè docuit Math. Vues.Parat. titul. de Iuſt. & Iu.

A ſubalternatione, ſubiecto, ordine , fine , &c. facile colliges,Ius Canonicum non eſſe ſcientiam, ſed ſub alio genere collocari oportere; quæ omnia quaſi per indicem pręmonuiſſe ſufficiat.

*SEries Rub.* 1
*Ius ſcriptum an certius non ſcripto.* 2
*Conſuetudo legem declarat.* 3
*Promulgatio requiritur, vt lex obliget.* 4
*Conditio quæ taci e legi . ineſſe videatur.* 5
*Lex conſuetudini comparatur.* 6
*Certitudo legis à ſcriptura, & publicatione.* 7
*Certius quid dicatur.* 8
*Quomodo lex conſuetudine certior.* ibid.
*Scriptura teſtibus comparatur.* 9
*Conſuetudo quomodo legem declaret.* 10
*Explicatur l. 2. §. exactis ff. de orig.Iu.* 11
*Conſuetudo abſtractiue conſiderata lege incertior.* 12
*Conſuetudinis initia obſcura.* 13
*Conſuetudo abſque ſcriptura conſideranda.* 14
*Certitudo duplex.* 15
*Vtilitas quæſtionis.* 16

Rubri-

1 RVbricarum ſeries, in qua non minus ridicule, quam inutiliter Scribentiũ vulgus elaborat, hæc ſit ex Panorm. communiq. traditione. Author Sacrorum Canonum ſtatuta ordine poſiturus, à Summa Trin. fideq. Catholica auſpicatur, ſumpta ratione ordinis ab eminentia, magnitudineq. rei præpoſitæ, vel quia fundamentum, & principium vniuerſi Iuris, rerumq. omniũ eſt Catholica fides. Ripa n. 1. Rim. 7. Verum, quia omne ius, quo vtimur, aut ſcripto conſtat, aut non ſcripto c. conſuetudo §. cum itaque 1. diſt. §. conſtat Inſt. de Iu. nat. & c. ideo ad tit. de Conſuet. iureq. non ſcripto præacceptus eſt tit. de Conſt. atq. ita de iure ſcripto, vt quod tum certius, tum nobilius.

Hic duo iſta maximè controuerſa. 1. *an ius ſcriptum ſit certius iure non ſcripto 2. An nobilius.*

2 Ad 1. Ius non ſcriptum eſſe certius, vel æque certum, nõ paucis ſuadetur, quod ſuſtinet Aug. Ber. nu. 7.

3 Maiorem certitudinem duo probant 1. Nam conſuetudo legem declarat, at profectò quod declarat certius eſt eo, quod per ipſum declaratur. all. tex. in l. hæredes palã §. ſi quid ff. de teſtam. quare, & c.

Adſump. probant Pau. & Caliſtr. in l. ſi de interpretatione cum l. ſeq. ff. de ll. dum ambiguitates, quæ ex legibus proficiſcuntur, ad conſuetudinem aperte referunt, addita ratione. *Optima n. legum interpres eſt conſuetudo.*

Quod ſi dixeris, contingenter in lege fieri, vt conſuetudine declaretur; obijcio rurſus; nam vbi cõſuetudo deficit, ibi continuo ambigua eſt legis obligatio, igitur, & ipſa lex.

Conſeq. patet, lex. n. quæ non obligat, iam non eſt lex l. 1. & 2. 1. legis ff. de ll. & ſolum, vt lex obliget, promulgatio
4 eſt de eſſentia legis c. in iſtis §. leges diſt. 4. c. 1. de poſtul. prǽl. l. leges C. de ll. §. 1. in princ. Authen. vt fa. noua conſtit.

5 Anteced. prob. nam legi conditio hæc tacite ſemper ineſt vt obliget, *ſi ſubditorum moribus fuerit acceptata* d. c. in iſtis §. leges h. u. *leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur,* & l. de quibus ff. de ll. ibi. *Quia ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos tenent, niſi, quia iudicio populi receptę ſunt, & c.*

2. Quod leuius; nanq. ita videtur ſenſiſſe Põp. in l. 2. §. exa

ctis 1. ff. de orig. iur. ibi *Iterumq. cœpit P.R. incerto magis iure, & conſuetudine aliqua vti, quàm per latam legem.* Vocat igitur ius incertū, nec tamen incertā cōſuetudinē vocat. Nec iuuant ſuperiora verba. *Populus ab initio ſine lege certa, ſine iure certo primum agere inſtituit*: hæc. n. ad conſuetudinem non diriguntur, ſed ad Regiam manū, quam olim Reges ad omne arbitrium, & pro ſua quiſque libidine, admouere ſolebāt, vnde ſtatim Pomp. *Omniaq. manu à Regibus gubernabantur.*

6 Aequalitas autem certitudinis ſuadetur 1. Nam, vel quæramus de conſuetudine generali reſpectu legis generalis, vel de particulari reſpectu particularis, vtrobiq. videtur idem gradus certitudinis.

Prob. nanq. in omnibus, & ſingulis eadem ſunt prædicata, quæ. n. de generali lege dicuntur, vt ſit certa, notoria, alleganda, non probanda, & ſi quæ alia ſunt huiuſmodi, de generali etiam conſuetudine dicuntur. Rip. cum alleg. n. 5. Maſc. de prob. vol. 1. concl. 428. quæ contra de peculiari lege, de peculiari quoque conſuetudine prædicātur.

Accedat Iuris authoritas; nam Bon. Pont. in c. 1. de conſtit. in 6. *Romanus Pontifex* (ait) *qui iura omnia in ſcrinio ſui pectoris habere cenſetur, locorum tamen ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines, & ſtatuta, cum ſint facti, & in facto conſiſtant, poteſt probabiliter ignorare*, & c. Conſuetudinem igitur generalem Pont. non excludit à ſcrinio ſui pectoris; quod ſatis agnouit ibi Gloſator ver. *ſingularium*, & ſimul habes comparationem ſtatuti, conſuetudinisq. ſpecialis, vt ſit vtrobiq. æqualis incertitudo. Confert, quod de probatione extrauagantis ſtatuitur in c. paſtoralis de fi. inſtr.

7 2. Prob. etenim, ſi quid certius eſt in lege, illud ſoli ſcripturæ acceptum datur; At conſuetudo etiam ſcribitur quandoq. nec tamen vllatenus immutatur, ſed eſt, & dicitur conſuetudo, vti conſtat ex generali feudorum inſcriptione *Incip. conſuet. feud.* ex c. conſuetudo 1. diſt. & alijs alibi opportunius referendis. Scripta igitur conſuetudo haud minoris erit certitudinis, quā lex. Cōtra etiā lex abſque ſcriptura ferri poteſt, cuius nulla neceſsitas eſt in lege, neque. n. tangit ſcriptura eſſentiā legis ex cōm. traditione lex igitur nō erit cōſuetudine certior, vbi ſcriptura deſit.

Nam

7 Nam certitudo legis non tam ſcripturæ defertur, quam publicationi d. Auth. vt fa. no. conſt. c. cognoſcentes, vbi Panor. & alij h.t. c.1. de poſtul. prælat. Cum itaque ſatis ex ſe publica conſuetudo ſit, ſatisq. nobis nota, non eſt, cur minus certam putemus cōſuetudinem, quod ſiue ſcripto nobis innoteſcat.

Denique videtur expreſſum in l. immo ff. de ll. h. u. *Immo magnæ authoritatis hoc ius habetur, quod in tantum probatum eſt, vt non fuerit neceſſe ſcripto id comprehendere.* Nec longe abeſt Iulia. in l. de quibus ff. eod. ibi. *Nam quid intereſt, ſuffragio Populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis, & factis?* Et legem quamuis ſcriptam, ambiguam tamen incertamq. eſſe poſſe, ſatis oſtendit l. in ambigua, & d. l. ſi de interpretatione ff. de ll.

Ex aduerſo conſentiunt omnes, legis certitudinem neque minorem eſſe, neq. æqualem, ſed longe maiorem.

8 1. Ratione vrgentiſs. Nam moraliter certius illud exiſtimandū, quod citius, quod paucioribus adminiculis, quod deniq. pluribus medijs, quorum ſingula ex ſe ſufficiant, comprobatur. At reſpectu conſuetudinis legem eſſe huiuſmodi, facile demonſtratur.

Et, quod citius innoteſcat, ſubtili ratione percipitur. Nam vtriuſq. ſiue legis, ſiue conſuetudinis effectrix cauſa voluntas eſt d. l. de quibus ibi *voluntatem ſuam declaret*, & c. Tunc, legislatoris voluntas ſcripto immediate probatur; at in conſuetudine populi voluntas rebus, & factis aperitur d. l. de quibus. facta autem, ſiue exempla teſtimonijs indigent; Itaq. per teſtes exempla, & per hæc cōſuetudo probatur; non igitur immediate.

Quod autem paucioribus adminiculis; certum eſt. Hoc. n. praxis exigit, vt lege præſtitutum decem annorum tempus in conſuetudine probetur, licet alij reſpuant definita tempora. Conna. lib. 1. c. 10. nu. 6. Item exemplorum numerum, nec non actus contentioſe obtentos in iudicio, eorumq. probationes, & alia, ſi quæ ſunt. Vide Maſcar. de Probat. vol. 1. concl. 423. & ſeq. cum tamen vnico ſcripturæ adminiculo lex in lucem prodeat.

Quod deniq. pluribus medijs, quæ ſingula ſufficiant, non minus certum. nam lex & ſcripto probatur, & teſtibus, quæ ſingula ex ſe plene probant. At conſuetudo vnica

 teſtium

teſtium probatione emergit, & quoties ſcriptura probatur, quod rarius, non releuat probantem, niſi ante conſtiterit, eidem ſcripturæ fuiſſe ab omnibus fidem adhibitam. Maſcar. ibid. concl. 415. nu. 6. & ſeq. & concl. 429. num. 7.

9 2. Nam, ſi teſtibus ſcripta conferamus, eadem conſuetudinis incertitudo prorſus euincitur. Etenim ſcriptura inuenta eſt, ad maiorem rerum certitudinem, atq. æternitatem, vt, ſi quando earum fides vocetur in dubium, ad ſcriptum, quod Legiſlatores quaſi ſuæ voluntatis imaginem relinquerunt, adeamus. Conna. eleganter lib. 1. c. 8. n. 1. hominum quippe memoria labilis eſt, & quo leuius ipſorum voces, & facta memoria excidunt, quam ſcripta, & perpetuis characteribus commendata, eo certior eſt lex, quam conſuetudo ſit.

Præterea nihil aduerſum ſcriptura patitur, cum teſtium fides aliquo ſæpe vitio minuatur, aut deſtruatur peritus, exigit .n. multa, vt integra ſit l. 2. & 3. & paſſim ff. de Teſtib. 4. q. 2. & 3. per tot. Et quandoque lucro, quandoque gratia, aut fauore, quandoque etiam odio, aut liuore mouetur; plerumque etiam error deceptione aliqua irrepit, & alia frequenter incidunt, quæ teſtium depoſitionibus ſuſpicionem aliquam impingere, vel ſuſpectam probationem prorſus infringere videantur.

Poſtremo iure expreſſum videtur. Etenim Caius l. contrahitur ff. de pignor. h. u. *fiunt .n. de his ſcripturæ, vt, quod actum eſt, per eas facilius probari poſſit, & ſine his autem valet; quod, actum eſt, ſi habeat probationem, &c.* Cui Marcel. reſpondet l. cenſus ff. de probat. h. u. *Cenſus* (hoc eſt cenſuales libros) *& monumenta publica potiora eſſe teſtibus Senatus cenſuit.* Vbi vide Cuiac. & adde Gl. in c. 1. §. poſtquam ver. *in ſcriptis* de Cenſib. lib. 6.

Nunc ad contraria.

10 Ad 1. primæ partis reſp. Conſuetudinem non dirigi per ſe, aut ordinari ad declarandam legem, vt argumenti ratio poſtulat, ſed in ſolo caſu ambiguitatis per raro emergentis, hoc ei contingere, cum tamen ſit vtraque à nobis ſtatuenda in ſua maiori certitudine, & diſputandum, quæ ſit in alterutra maior. Præterquam quod ambigua, obſcuraue lex haud bene fungitur officio legis, c. erit au-

tem lex 4. diſtinct. ibi *manifeſta quoque, &c.*
Sed & argumentum vrget in caſu vnico, quando de eadem re in indiuiduo lex, conſuetudoq. eſt, cum tamen diſputatio præſens ab omnibus indiuiduis abſtrahat, & quanca que legē, conſuetudinemq; vniuerſaliter complectatur.
Adhuc vero, ſi obſcuram legem obſcuræ cõſuetudini comparemus, præeminet lex, hæc .n. licet ambigua haud bene fungatur officio legis, eſt tamen, & dicitur lex; At cõſuetudo obſcura, atque incerta nulla eſt, hæret .n. hominum memoriæ incerti autem nulla memoria eſt, niſi quatenus incertum. Item in ambigua lege vnica quæſtio vertitur, *qualis ſit*, at in ambigua conſuetudine duplex, *qualis ſit*, & *an ſit*. De eo vero quod ſubijcitur argumentationi, erit inferius propria quæſtio.

11 Ad 2. quod Zaſio tribuitur, R. inde ſuaderi oppoſitum; Etenim Pomp. traditurus Iuris originem, ſic incipit. *Et quidem initio Ciuitatis noſtræ populus ſine certa lege, ſine certo iure primum agere inſtituit.* Poſtea docet, latas à Romulo Leges Curiatas, cum diuiſiſſet Populum in Curias. Poſtremo ſubdocet, ſublatis hiſce legibus, iterum cœpiſſe Pop. Rom. *incerto magis iure, & conſuetudine aliqua vti, quam per latam legem.* Refert, quid ver. *iterum* repetatur, nam repeti aliquid neceſſe l. veluti §. hæc vox iterum ff. de eden. c. ſua cum Gl. ver. iterum. de appell. Profecto manus Regia non repetitur, quæ defecerat: Non Curiatę leges, quæ exoleuerant; Igitur ſola conſuetudo refricatur; Sic autem interpretor. *Incerto iure, ideſt conſuetudine* poſito & pro *ideſt*, vt alibi ſæpe, quando ponitur inter genus, & ſpeciem; nam ius generale nomen eſt, conſuetudo ſpecies, & pars c. ius generale 1. diſt. §. cõſtat Inſt. de Iu. Nat. & c.

Quod ſi dictio & proprio copulandi fungatur officio, adhuc retorquetur argumentum; copulat .n. conſuetudinem incerto iuri, quo ſatis arguitur eiuſdem conditionis eſſe, aut qualitatis; Subiungitur præterea, opus fuiſſe, vt peterentur à Græcis certæ leges, quæ pro roſtris propoſitæ apertius perciperētur, ne ve perpetuo Populus incerto iure, & conſuetudine vagaretur; quo vides, incerto iuri, cõſuetudiniq. certiores leges manifeſto opponi.

12 Ad 1. Arg. ſecundæ partis, alij generalem cõſuetudinem

non dari, alij omnino probandam, alij obſcuriorem eſſe, quia ſenſibus non ſubijciatur alij aliter reſpōdent,& multi generali conſuetudini dant manus. Exiſtimo abſtrahendum eſſe ab omni conſuetudine generali, ſeu particulari, atq. hinc tuta omnia. Etenim lex adeo ſcripturæ munere certa eſt, vt non poſſit non eſſe, cum tamen conſuetudo rebus, factiſq. inducta, quibus prudentiſſimi quoq. decipiuntur. l.2. ff. de Iur. & fac. ignor. adeo incerta ſit, vt ſi forte certitudinem aliquam habuerit, ei contigiſſe videatur; accidit .n. conſuetudini, vt generalis fiat, atque adeo accidit eidem vehemens illa certitudo, quæ lęgali conſuetudini prope accedere poſſe videtur, quod .n. dilatetur, ac peruulgetur, quod frequentius, & ſolos perambulet, & Vrbes, quod demq. vniuerſum orbem, ſi poteſt peragretur, hæc omnia conſuetudini contingunt, cum poſſint aliter euenire; Si igitur omnia dedero, quæcumq. de generali conſuetudine afferantur, dicam tamen cum Scholaſticis, legem quaſi per ſe, conſuetudiné vero quaſi per accidens certam eſſe.

13 Quod ſi contemplemur initia; de lege, & conſuetudine elegantiſsima verba ad rem habet Fran. Conna. lib. 1. cap. 10. n. 5. Licet aliud ſibi eo loci proponat. Is, cum de prę claro legis initio quædam præmonuiſſet, de conſuetudine hæc ſubmouet. *At conſuetudinis & principium neſcitur, vt plurimum, & Author certus nullus citari poteſt, ſed imprudentibus ſe ſe nobis inſinuat, voluntateſq. noſtras obſcure primum, tum etiam aperte ipſa ſibi conciliat, poſtremo tãtum acquirit authoritatis, & gratiæ, vt regnet, & dominetur lege potentius.* Hæc ille.

Hactenus de generali conſuetudine. At etiam particularis conſuetudo peculiari ſtatuto male comparatur; illa .n. probanda ſemper, at iſtud, vbi ſtatutorum volumine inſertum, probatione non indiget. Ita Panor. in d. c. Paſtoralis n. 2. quo loci extrauagans illa conſtitutio probanda fuerat, quia extra iuris corpus vagabatur, ſicut etiam conſuetudo ſemper extrauagans eſt, atq. idcirco probanda ſemper, vt idem explicat.

11 Ad 2. Reſp. ſuppono ſemper abſq. ſcriptura conſuetudinem, & cum ſcriptura legem in tota hac diſputatione; id .n. frequentiſsimum eſt, adeoq. fundamẽtum quæſtionis,

iuriſq.

iuriſq. in ea conſtituti. l.nam ad ea ff. de H. Sed, & illud referre exiſtimem, an ferendæ legis habeat poteſtatem, qui conſuetudinem ſcribit, tunc.n.valde controuerſum, conſuetudo ne ſit, vel magis lex; licet probabilius videatur, adhuc conſuetudinem eſſe. Quod ſi priuatus hoc faciat, nihil certe proficit ad maiorem certitudinem, niſi communi ad ſenſu populi recipiatur, vti feudalibus iuribus feliciter obtigit.

15 Ad 3. Si verum anteced. quod inficiari nō prohibeor, tūc certitudinem facio duplicem: Momentaneam alteram, & tranſeuntem, quam publicationi libenter adſcribo, ſed momento finitur, & tranſit; hæc vna autem legi contingeret ſi ſola voce Præconis publicaretur, neque deinceps ſcriberetur; Alteram ſucceſsiuam, & immanentem, quæ ſolius ſcripturæ propria, & noſtræ quæſtionis eſt, hac .n. probatio conſuetudinis à legis probatione ſecernitur. Sed & illud nemo negauerit, citius publicari legem, quam conſuetudinem, ſit ſcripta lex, aut non ſcripta.

Iuribus vltimo loco poſitis facile reſp. Namq. in d.l.immo ea ſententia continetur, conſuetudinarium ius ex ſe ipſo ſatis probari, atq. in tantum probari, vt maiori probatione opus non fuerit, atq. ita nec fuerit neceſſe illud ſcripto comprehendere; inuentæ.n. ſunt ſcripturæ, non vt neceſſario, ſed vt facilius quid probetur. d. l. contrahitur ff. de pignor. At Iulia. in d.l. de quibus conſuetudinem legi comparat quoad vim, & potentiam ligandi, prout antedicta ſatis exprimat. Cæterum, quod alijs legibus enunciatur, non vrget, etenim ambiguitas in intentione conſiſtit, & licet obſcuris verbis fuerit concepta lex, ſcriptura tamen probat euidenter apertam legem, ſi aperta eſt, ambiguam, ſi ambigua eſt.

16 Vtilitas quæſtionis maxima, tranſeant ne illa, quæ foro ſemper imminent, ſ. poſitionibus iuris ſcripti non eſſe neceſſario reſpondendum, ſecus non ſcripti: Notam vero conſuetudinem, neq. probari, neq: ignorari oportere, ſupplendumq. eſſe à Iudice, quod talis conſuetudo induxerit, & alia apud Rip. cum alleg. nu. 5. & 6.

*Lex an dignior conſuetudine.* 1
*Legis dignitas ab origine.* 2

*Legis origo, vnde.* 3
*Deus eminentiori modo concurrit ad legem quam ad conſuetudinem.* 4
*Legis origo ſemper à dominante, conſuetudinis vero ſemper a ſubditis.* 5.12
*Populus idem, & dominantis rationem habet, & dominati.* 6
*Lex ſuffragio conditur, & abrogatur.* 7
*Conſuetudo à tranſgreſsione incipit, & peccato.* 8.10
*Author legis ſemper certus, conſuetudinis incertus.* 9
*Conſuetudinis macula quomodo depurgetur.* 11
*Triplex conſuetudini adſenſus à Principe.* 13
*Modus originis in conſuetudine, & lege, & praeeminentiae ratio.* 14
*Eminentiſsima pars iuris Lex 12. Tab.* 15
*In minori dignitate maior prudentia perſaepe rutilat.* 16

SVbſequitur alia quæſtio *de praeeminentia, ſeu nobilitate*, quam ego triplicem facio; Vt. 1. quæram de maiori nobilitate. 2. de maiori vetuſtate, 3. de maiori potentia. Quomodo auté hæc ſecernantur, & quam male confundantur à cæteris, inferior appendicula docebit.

1 In 1. quæſt. Pro maiori dignitate iuris non ſcripti certari ſolet vel armis potentiæ, vel gloria, & veneratione antiquitatis. Nos autem hæc ſecludimus nunc; ideoq. duobus alijs præter hæc leuiſsimis defenditur hæc pars, quam ſuſtinet idem Bero. nu. 12.

2 1. eſt. Nam ab origine diiudicatur præeminentia, & dignitas. c. duo ſunt. 96. diſt. c. ſolitæ de maior. & obed. At lex à Principe, conſuetudo vero à Populo eſt, atque adeo conſuetudo magis integrum iudicium habet, utp. plurimorum ſententijs confirmatum. c. extra conſcientiã 64. diſt. c. per hoc 6. verum. cum Gemin. de hæret. in 6.

2. Quia lex, & conſuetudo ab ijſdem oriri principijs, & circa idem ſubiectum verſari, in eundemq. finem tendere poſſunt; quo fit, vt natura eadem, pariq. dignitate cenſeri debeant. arg. l. illud. ff. ad l. Aq. l. à Titio. ff. de verb. oblig.

Ad ſump. patet, ſi dominetur Populus, conſuetudiniq. comparetur lex, quæ ab eodem populo ſit, tunc .n. profectò æqualis erit vtriuſq. dignitas, & ſplendor ab origine, quæ

vna

vna eſt, quod ſecus, vbi ſubditorum mores Pōtificijs, Imperatorijs, Regijs ve conſtitutionibus conferuntur.

Ex aduerſo pro maiore nobilitate legis certāt omnes, quam in tuto ponunt origo, eiuſq. modus, præeminētia, & partes, etenim in ſubiecto, ac ſine nihil prorſus conſtitui poteſt.

3 Ab origine ſic omnes arguunt. Origo legis eſt à Deo, à Pontifice, ab Imperatore, à Rege, poteſtate à Deo tradita, à quo omnis Iuriſdictio profluit, omnis poteſtas; conſuetudinis autem origo à populo, ergo, &c.

Originem à Deo probant; Nam primæ leges fuerunt ab ipſo Deo traditę Moyſi in ſummitate Mōtis Synai 12. Exod. rela. in c.1. 7. diſt. & quia lex inuentio quædam dicitur, & donum Dei, Martia. ex Demoſth. in l.2. ff. de ll. ad quē ita Conna. lib.1. c.8. nu. 2. *Demoſthenes inuentum, & donum Dei quoddam legem eſſe dixit; non quod quæq. lex tam tanta ſit, & iuſta, vt digna ſit, quæ ad Deum referatur, ſed, quod ipſum hoc, vt legibus viuamus, tantam attulit rebus humanis vtilitatem, vt ab aliquo Deo datum, inuentumq. eſſe videatur.* Hæc ille. Nos autem (quicquid ſenſerit Demoſth. Ethniciq. omnes) dicimus, Legiſlatorem, quaſi Dei Miniſtrum, & poteſtate à Deo tradita leges ſancire, iux. illud Pau. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo*, & alia, de quibus alibi opportunius. Quo ſenſu dictum in c. fin. 16. q. 3. *Sed, & venerandæ Romanæ leges diuinitus per ora piorū Principum promulgatæ, & c.*

Atqui Dec. n. 2. etiam conſuetudinem à Deo eſſe contēdit, cū omnia, quæ in vniuerſo fiunt, Omnipotentis Dei permiſſu fieri dicantur. c. nec mirum 26. q. 5. Not. Panorm. in c.1. de ſepult. n.1.

4 Sed adhuc (replicant alij) vincit lex, cum ad hanc Deus eminentiori modo concurrat, legem .n. effectiue cauſat. d. c.1. 7. diſt. conſuetudinem vero permiſsiue.

5 Ego autem ſic argumentor ab origine. Legis origo ab eo ſemper eſt, qui dominatur, & præeſt, conſuetudinis vero ſemper à ſubditis, & qui parent; quare ſemper antecedit lex.

Conſeq. nota eſt, & quod adſumitur, facile probatur; namque vbi Populus, à quo conſuetudo emanauit, Principem habet, ſeu Regem, cui pareat, nihil prohibet dicamus, imperantis

perantis legem imperati Populi conſuetudine digniorem eſſe. Vbi vero dominatur Populus, ab eodemq. Populo conſuetudo efflùit; qualis Romani Pop. conſuetudo ante legem Regiam, tunc, ne aberremus cum cæteris,& cum
6 Mitia potiſsimum, rationem duplicem diſtinguemus in Populo, licet. n. re ipſa Populus idem ſit, rationem tamen, & dominantis habet, & dominati, quippe idem Populus duplici reſpectu,& imperatur,& imperat, vt cõſtat ex ſe.

Statuo igitur, legem à Populo, vt dominante conſuetudinẽ vero à populo, vt dominato promanare. Fertur lex a Populo in vnum conuocato ad ferenda ſuffragia. d. l. de quib. ibi *ſuffragio ne populus*, *& c. §*. Senatus conſulta Inſt. de Iu. Nat. ferturq. ſuprema populi poteſtate omnibus tradita, vt vniuerſis, nõ vt ſingulis: at conſuetudo ſingulorum hominum rebus, factiſq. inducitur d. l. de quibus, atq. ideo à populo, vt dominato, & deinceps à populo dominante, quaſi à Principe, aut expreſſè, aut tacitè, aut mixtim approbatur, vt infra declaro.

7 Hoc idem mihi ratio duplex apertiſsimè commonſtrat. Quoniam, vbi lex ſuffragio conditur à Populo, nouo etiã, contrarioq. ſuffragio, ſiue alia poſtea lege lata ab eodem Pop. vti Principe abrogatur, non autem conſuetudine, vt alibi oſtendam; vbi igitur eiuſdem Populi conſuetudine, ſeu magis deſuetudine lex antiquatur, fatendum eſt, hanc ab eo non eſſe, vti dominante, atq. Imperante, ſed imperato, ac dominato ſub eodem rationis diſcrimine.

8 Item, quia conſuetudo à tranſgreſsione incipit, & peccato, vt infra dicam; peccarunt igitur, pœnamq. initio meruere, qui aduerſus populi legem agere cœperunt. Atqui pœna hæc, ſiue culpa violatæ legis dominanti populo neque adſcribi, neque irrogari poteſt, cum eiuſdem ſit potentiæ legem condere, & abrogare. Igitur dominato, qui vtriuſq. capax.

9 Neque illud inutile, quod ex Conna. docuimus anteced. quæſt. authorem legis ſemper eſſe certum, conſuetudinis ſemper incertum; proprium .n. conſuetudinis eſt, vt ſingulis hominibus propemodũ imprudentibus ſe ſe quaſi arroganter inſinuet.

10 At quæſo conſuetudinis ſemina omnia diligẽtius intueamur.

mur. Hæc plerunq. contra legem, quandoque etiam præter legem, aut ſecūdum legem inducitur. Vbi autem contra legem eſt, nō modo illuſtre, præclarumq. initium nullum habet, ſed omnino turpe, atq. obſcurum, quia ſemper à peccato. 1. quia non poteſt inchoari, niſi à tranſgreſsione iuſtæ legis, vt igitur præſcriptio, quæ à mala fide incipit, culpam, peccatumq. habet, ita cōſuetudo, quæ à tranſgreſsione; ſiq. lex Principis iuſta, rationiq. conſona eſt, non poteſt iuſta, rationabiliſq. cenſeri cōſuetudo, quæ legi aduerſetur, neq. .n. iuſtum iuſto, aut rationabili rationabile contrarium. 2. quia conſuetudo conſenſum Principis expectat, vt infra: At non poteſt initio Princeps conſentire in tranſgreſsionem iuſtæ legis; tranſgreſsio igitur non euitat culpam, qua ratione conſuetudini ſupremā illam authoritatem nonnulli denegarunt, vt poſsit frangere legem, ex præſcripto l.2. C. quæ ſit lon. conſue.

Dices, Si conſuetudinis initia continuo culpa comitatur, quę poterit eſſe rationi conſona, aut iuſta conſuetudo? exigūtur. n. hæc omnino. c. fin. de conſuet.

11 Reſpon. purgari conſuetudinis maculam, quando legitime præſcripta eſt, tunc. n. neque communi bono, neque vlli vltra legi aduerſatur; non quidem naturali, aut diuinæ quia nulla conſuetudine, aut præſcriptione deleri poſſunt; ſed neq. humanæ, hæc. n. legitime præſcripta conſuetudine antiquatur.

12 Vbi vero præter legem eſt, aut ſecundum legem, adhuc ſemper humile principium habet, quoniam à ſingulis hominibus, populoq. vt diximus, imperato originem trahit.

13 At obijciunt, parem in conſuetudine, atq. in lege Principis conſenſum, authoritatemq. exigi, in quo variæ ſunt Scriben. ſententiæ, traditioneſq. Sanchi de Matrim. lib. 7. diſp. 82. nu. 20. At Princeps, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue Laicus poteſt tribus modis conſuetudini adſentiri; expreſsè, ſi ſcienter approbet; tacite, ſi diſsimulet; & mixtim quodammodo, ſi communi lege ſtatuat ſemel, vt conſuetudo quæq. legitime præſcripta, rationiq. congruens vim legis obtineat. d. c. vlt. de conſuet. tunc. n. generaliter, & quaſi expreſsè conſuetudines omnes approbat in futurum inducēdas, neq. opus, vt ſingulas noſcat, agnoſcat ue.

Quibus

Quibus oſtenditur ſatis, conſuetudinem à populo effectiue eſſe, à Principe autem permiſsiue tantum. Immo conſuetudinem à lege Principis vim, ac nobilitatem ſuam mutuari, cur igitur legi anteferatur, aut etiam comparetur?

14 A modo originis argumentum ducitur huiuſmodi. Lex à Populo ſolemni rogatione fertur. §.Lex. cum Scriben. Inſt. de Iu. Na. à Principe etiam eleganti forma præſcripta in l. humanum C. de ll. conſuetudo autem à ſingulis, à vulgo eſt, nullaq. in ea ſolemnitas, ſed quaſi arroganter ſe ſe inſinuat, eiuſq. initia transgreſsio, & culpæ labes comitatur.

Præeminentiæ rationem deducit Iac. Cuiac. in d.l. de quibus ff. de ll. ex deciſione l.2. C. quæ ſit long. conſ quam ita interpretatur, vt in dubia quæſtione, *vtrum lex, an conſuetudo debeat obtinere*, pro lege reſpondendum ſit; nam *ſui momento*, hoc eſt, pondere, & dignitate non adeo valere conſuetudo debet, vt rationem vincat, aut legem. Sed de hoc inferius.

15 A partibus denique arguitur, quoniam eminentiſsima iuris pars eſt 12. Tab. lex, quæ ſcriptum ius conſequitur; quare; &c.

Probat etiam Rimin. nu. 37. ſpeciali quodam priuilegio ſcriptum ius fuiſſe à Principe illuſtratum, ſed conuertitur ad nugas.

Ex his ſoluitur. 2. arg. quod vrgebat.

Primum autem retorquetur, ex quo. n. conſuetudo à Popu-

16 lo eſt, inde fit nobilitate obſcurior. Nec valet, magis integrum eſſe totius populi iudicium, nanq. ſi concedatur prudentia maior, negabitur tamen maior nobilitas, quippe valde diuerſa hæc ſunt, & in minori dignitate maior prudentia perſæpe rutilat. Præter quam quod & Princeps poteſt in condenda lege ſapiẽtes viros conuocare, & conſulere, prout ſemetipſum humaniter deuincit in d. l. humanum. Hæc de nobilitate.

*Dictio ex ſeparationem temporis notat.* 1
*Ius Ciuile ſimul tempore cum conditis Ciuitatibus.* 2
*Lex quaſi Conſuetudinis exemplar.* 3
*Conſuetudinis triplex virtus.* 4

Conſue-

*Conſuetudo deficiente lege ſuſcipitur.* 5
*Conſuetudinis origo vetus.* 6
*Conſuetudinis appellatione ius ſcriptum aliquando ſignificatũ, & cur.* 7
*Conſuetudo bis ſcriptam legem anteceſſit.* 8
*Primordijs Eccleſiæ iura non ſcribebantur.* 9
*Conſuetudo materialiter ſumpta, aut formaliter.* 10
*Conſuetudinis inductio non niſi in Ciuitate poſſibilis.* 11
*Lex, & conſuetudo ſimul tempore.* 12
*Conſtitutionum origines.* 13
*Conſuetudine etiam nouum Ius inducitur.* 14

IN 2. quæſt. *de maiori antiquitate*, qui cenſent, ſcriptum ius nobilius eſſe, iidem quoq. cenſent, eſſe vetuſtius, quaſi præeminentia antiquitatis ſit nobilioris conditionis certiſſimum argumentum, aut neceſſaria cauſa.

Fund. eſt, quod Grat. ſcriptũ reliquit in c. vlt. 6. diſt. h. u. *Ius vero conſuetudinis poſt naturalē legē exordiũ habuit, ex quo homines conuenientes in vnum cœperunt ſimul habitare, quod ex eo tempore factum creditur, ex quo Cain Ciuitatem ædificaſſe legitur. &c.* Aiunt, iuris naturalis nomine ius gentiũ ſignificari, quod ſecundarium vulgo appellāt, poſt quam .n. ſcripſit Grat. conſuetudinis ius poſt naturalem legem ſumpſiſſe exordium, explicans ſubiungit. *Ex quo homines conuenientes in vnum cœperunt ſimul habitare,* quę pars Ius gentium reſpicit, quo ædificia collata. l. ex hoc Iure. ff. de Iuſt. & Iu. Ad huc vero ambiguum videbatur, an conſuetudo anterior eſſet, vel poſterior iure Ciuili, vt igitur poſteriorem eſſe oſtenderet, ſubnectit, ex eo tempore factum, *ex quo Cain Ciuitatem ædificaſſe legitur.* Senſus igitur eſt, ortum conſuetudinis fuiſſe poſt ædificatam Ci-
1 uitatem, nam verba illa *ex eo tempore* ſeparationem temporis connotant. l. vlt. C. de temp. in integr. reſt. ibi *ex die, ex quo, &c.* & inf. *Ex quo viceſimiſexti anni, &c.* Sic itaq. argumentantur. Conſuetudo fuit poſt conditas Ciuitates
2 d. cap. vlt. Ius Ciuile fuit ſimul tempore cum Ciuitatibus conditis §. ſingulorum Inſtit. de rerum diuiſ. Ergo Ius Ciuile, quod ſimul tempore extitit, conſuetudine anterius eſt.

Confirmant, quia in Ciuitate condita per Cain poſuerunt

eſſe

eſſe homines literarum periti, qui ante ortam conſuetudinem ſcripto Iure vſi fuerint.

2. Arg. Conſuetudo legem imitatur. §. ex non ſcripto Inſt.
3 de iu. Nat. Lex igitur quaſi conſuetudinis exemplar, ſiue Idæa quædam eſt. At exemplar neceſſario præexiſtit. l. in teſtamento. 27. ff. de cond. & dem.

4 Confirm. Nam conſuetudinis triplex eſt virtus; Vt legem imitetur. d. §. ex non ſcripto. Corrigat. c. vlt. de conſuet. declaret. l. ſi de interpretatione ff. de ll. c. cum dilectus de conſuet. At hæc omnia præſeferunt legem.

5 3. Nam conſuetudo non niſi deficiente lege ſuſcipitur. c. conſuetudo. 1. diſtin. Sequitur ergo legem.

6 At conſuetudinem antiquiorem eſſe probat ex aduerſo Franc. Conna. lib. 1. c. 10. n. 2. Vbi in hæc verba. *Nam prima iuris fundamenta iecit natura, tum permulta hominum moribus acceſſere, quæ vtilitatis ratione venerunt in conſuetudinem, & horum quædam, quia certa, vtilia, & neceſſaria, ne quid contra peccaretur, obiecta ſunt legibus, quædam, quia incerta, dubia, atq. obſcura, conſuetudinis arbitrio ſunt relicta, vt magis permiſſa, quam iuſſa, aut imperata viderentur, vt explicat Tull. lib. 2. de inuen. vbi tandem colligit, ius eſſe, quod aut leniter a natura tractum, aluit, & maius fecit vſus, vt Religionem, aut ſi quid eorum, quæ ante diximus, a natura profectum, maius factum propter conſuetudinem, aut quod in morem poteſtas vulgi approbatione perduxit. Prima igitur Populorum ſi ita fuere earum rerũ, quas vitæ degendæ commodas eſſe, multo vſu experti erant; cæteras, de quibus aliquid, ſed non certum habebant iudicium, conſuetudinis poteſtati reliquerunt, vt ad eas homines nullis legum minis compellerentur, ſed ſi ita ferret vſus, ſponte ſua ducerentur. Quapropter exiſtimauit Plato, ius hoc non ſcriptum ſcripto eſſe vetuſtius, quod etiam confirmat ab Hiſtoria temporum, quia fuerit tempus, quod diluuium proxime ſecutum eſt, cum rudes eſſent, & ignari literarum homines, his a Cadmo nondum repertis, quo tempore nullis dum legibus potuerunt gubernari, ſed tantum moribus.*

Hæc eleganter Conna. quæ ſimul explicant Gratiani ſentẽtiam.

At idem quoq. Grat. in ſum. diſt. 1. *Humanum genus (inquit) duobus regitur, naturali videlicet iure, & moribus.* Et

ibid.

ibid. c. conſuetudo *Apparet, quod conſuetudo eſt part im redacta in ſcriptis, partim moribus tantum vtentium reſeruata. Quæ in ſcriptis redacta eſt, conſtitutio, ſiue Ius vocatur, quæ vero in ſcriptis redacta non eſt, generali nomine, conſuetudo, videlicet, appellatur.* Et ibid. Iſid. c. 1. *Omnes leges aut diuinæ ſunt, aut humanæ, diuinæ natura, humanæ moribus conſtant.*

Ex quibus habes, quod adhuc nemini perſpectum ſatis ea
7 Ratione morum, & conſuetudinis appellatione ſcriptum, & non ſcriptum ius ſignificari, quia ius illud, quod ſcriptum modo eſt, obſeptumq; lege, erat ante conſuetudo, & vſus, non quidem formaliter, quia per ſcripturam immutari non potuiſſet, vt alibi opportunius, ſed quaſi materialiter, & ſecundũ quid, nondum .n. orta lege nulla poterat eſſe formalis diſtinctio inter ipſam, & cõſuetudinẽ
8 At videtur etiam huius ſententiæ veritas Romano Iure expreſſa, vt l. 2. in princ. & §. exactis ff. de orig. Iu. Etenim Populus initio Romanæ Ciuitatis ſine certo iure vixit, donec Romulus, ceteriq; Reges ſcripta quædam iura ſanxere, quæ vna cum Regibus deleta. Iterum verò Romanus Populus cœpit incerto iure, & conſuetudine vti, donec leges 12. Tab. promulgatæ fuere. Bis igitur conſuetudo ſcriptam legem antecesſit, nam primo Regiam legem, deinde Tabularum ſanctiones.
9 Sed, nec minus Eccleſiaſtico Iure comperta; nam (quod deca obſeruat) primordijs Eccleſiæ non ſcribebantur Iura, ſed quaſi moribus degebatur.
10 At prælaudata Connani verba vtramq; ſententiam gratioſe conciliant, ni fallor. Aut enim conſuetudo ſumitur materialiter, qualis conſuetudo illa Connani ante omnem legem poſt naturale ius omnino informis, vt quæ nec Iuris ſpeciem, neq; ad ius, quod non erat, proportionem aliquam habere poterat, eratq; qualis qualis vſus, nec vim, nec formam Iuris habens, & hæc profectò lege vetuſtior, de qua tamen non diſputamus.

Aut formaliter accipitur, vt formam habet elegantem ſibi traditam à Iure, vigoremq; Iuris, & hæc quaſi legis foetus eſt, & omnino poſt legem; quis enim ante legem dixerit conſuetudinẽ eſſe, cũ hęc ſpeciem acceperit a lege? Vt enim rationi congruat, vt exempla habeat rerum iu-

dicatarum, præfinitaq; tempore, quibus quaſi coaleſcat, omnia hæc à lege ſunt. dicto §. ex non ſcripto dicta l. de quibus d.c.vlt. de conſuet. cum Interp. Nec poteſt conſuetudo imitari legem d. §. ex non ſcripto, quæ ante legē ſit. Quod ſi dicta repræhendas, perſoluam conſuetudini debitum, nec diſfitebor, lege vetuſtiorem eſſe.

11 Fund. 1. ex Grat. d. c. vlt. 6. diſt. poſita Cōnani animaduerſio prorſus demolitur; at vel illud maxime, quia cum tacite inducatur conſuetudo a Populo d. l. de quibus d. § ex non ſcripto, impoſſibilis inductio eſt, niſi Populus in vna, eademq; Ciuitate, veluti communi quadam domo ſimul habitet, quod naturali iuri inducendo neceſſarium non fuit. Hæc igitur Gratiani mens, & ratio diſcriminis neq; aliud vltra ſenſit.

12 Sed quicquid demum ſenſerit, non vrget. Etenim ſi cōſuetudo extitit, ex quo, conditis Ciuitatibus, cœperunt homines ſimul habitare, leges vero, quando condi cœperunt Ciuitates, profecto aliud non probatur, quam ſimul tempore fuiſſe cum lege conſuetudinem, ex quo enim condi cœperunt Ciuitates, ex eo homines cohabitare cœperunt in vnum, & viciſſim.

13 Sed videamus, quo nam diſcrimine Grat. vtrumq; ius, & conſuetudinis cenſuerit, & legis. Is, cum prædocuiſſet, Ius conſuetudinis habuiſſe exordium, ex quo Vrbe condita à Cain cęperunt homines ſimul habitare, Statim ſubiungit initio 7.diſt. *Ius autem conſtitutionis cœpit a Iuſtificationibus Moyſi traditis à Domino, &c.* Nunquid prius non fuit Cain, quam Moyſes? Non prius ædificata Ciuitas, quam traditæ Iuſtificationes?

Huic ſubſcribit Iſid. c. 1. Numam Pompilium, qui Romulo ſucceſſit in Regno, primum leges Romanis edidiſſe. Dicam igitur, anteceſſorem eius Romulum conſuetudine, & moribus fuiſſe vſum. At (inquies) tulit Romulus pauciores quaſdam leges d. l. 2. ff. de orig. Iu. Sed nonminus eadem l. probatur in princ. ante leges à Romulo latas Pop. Rom. moribus, & conſuetudine vixiſſe, neq; vltra tam apertæ rei probatione opus. Qui ſcripta iura primi ſanxerint, adde Alex. ab Alex. Gen. die. lib. 6. c. 10. nec non Hiſtoriarum Scriptores.

Ad 1. R. imitationem eſſe æqualis potentiæ, vt d. l. de quibus

bus ibi. *Nec refert ſuffragio, ne Populus, &c.*

14 Ad confirmationem, vt alia prætercam, Reſpondetur conſuetudine etiam nouum ius induci, cui anterior lex nulla præſuponitur.

Ad 3. Reſpondetur inuenta demum lege, ſuſcipi conſuetudinem, quando illa deficiat; ex hoc itaq; non arguitur, legem vetuſtiorem eſſe. Nimis autem Iſidoro, & Gratiano adſentimnr, quos refellere non prohibemur.

Habes quomodo vtramlibet partem contueri valeas, mihi verò poſita diſtinctio admodum placet.

*Legum inſtitutio.*

*Clerici hodie à quinquageſima non ieiunant à carnib.* 2.

*Poteſtas, ac voluntas legislatoris cum iudicio Populi confertur.* 3. 8. 11. 17. 34.

*Princeps à Populo eſt.* 3.

*Mos, vſus, ac veriſimilitudo in acceptatione Pop.* 4. 15. 29.

*Loco, tempori, rerumq; vtilitati lex conuenire debet.* 5. 6.

*Facultas abrogandæ legis per diſſenſum præſcritta à Pop.* 7.33

*Lex communis Regula eſſe debet.* 8.

*Principis voluntas quomodo interpretanda in lege.* 9.

*Lex obligat ſtatim ad obſeruantiam.* 10

*Quod ab alio non pendet in fieri, nec pendet in conſeruari* 12.

*Singularis præcepti, vniuerſaliſq; legis proportio.* 13.

*Princeps tota Rep. ſuperior.* 14.

*Peccat Populus, qui latam legem initio violat.* 16.

*In Principe non præſumitur animus ſuſpendendæ obligationis in Pop. acceptationem.* 17.

*Quod peccati labem contrahit, non detrahit poteſtati.* 18.

*Iniuſta lex aut recuſari poteſt, aut debet.* 19.

*Lex dura, iuſta tamen, non euitatur.* 20.

*Aut ſaltem obligat in actu primo.* 21.

*Lex a maiore parte Populi reiecta cęteros non ligat.* 22.

*Moribus firmari leges quomodo intelligatur.* 23.

*Explicatur Iulia. ſententia in l. de quibus ff. de ll.* 24

*In democratia totus Populus concurrit.* 25.

*Acceptatio legis a populo, vt imperato eſt.* 26.

*Promulgatio vetus Rom. Pop.* 27.

*Lege Regia cuncta translata in Principem.* 28.

*Sanctiones, quæ.* 30.

*Neglectam legem communi bono refragari; quomodo accipiendum.* 31.
*Quomodo etiam vtilitatem legis ſubditorum acceptationi commenſurari.* 32.
*Recuſatio legis, & deſuetudo.* 33. 34.

IN 3. quæſt. *de maiori potentia.* Ex triplici vultu legis ad conſuetudinẽ triplex quoq; voluitur quæſtio. Aut enim legi conſuetudo adſiſtit. Aut reſiſtit. Aut nouum aliquod inducit præter legem; & in ſingulis potentia maior conſtitui poteſt.

In prima inſpect. exiſtimatum quandoq; eſt, legem adeo pendere ab acceptatione, moribuſq; ſubditorum, vt obliget ſub inſita conditione. *Si moribus fuerit recepta.* Quod ſi verum eſt, conſuetudinis potentia ſupra legem in hac parte non erit incerta.

At primum de Ciuili lege poſtmodum de Pontificia diſſeramus.

In Ciuili conſtitutione communis Iuriſperitorum opinio ſtatuit in c. 1. de tre. & pa. vbi potiſs. cum alijs fely. acceptatione, moribusq; Populi opus eſſe adeo, vt inde ſtatum omem, ac potentiam nanciſcatur conſtitutio, ſiue lex. De comm. Suar. de ll. lib. 3. cap. 19. num. 1. & Salas ibid. cum innum. quæſt. 96. tract. 14. diſp. 13. Sect. 1. num. 2. Sequuntur paſſim Theologi, & Sūmiſtæ, quos ipſi referunt, & nouiſs. Mart. Bec. Sum. Theol. 2. p. tract 3. cap. 6. queæſt. 8. num. 1. & 3. Nec longe abeſſe videtur Phil. Polit. lib. 2. cap. 6. in fin.

Prob. 1. ex c. in iſtis §. leges 4. diſt. vbi D. Aug. h. v. *In iſtis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas inſtituunt, cum tamen fuerit inſtitutæ, & firmatæ, non licebit Iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundum ipſas.*

Explicans Grat. ſubiungit. *leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur.* Si moribus firmantur, ſunt igitur infirmæ ante Populi acceptationem, vel ſolum in actu primo obligant, non ſecundo.

Confirmat idem Grat. ratione, & exemplo. Ratione, ſicut enim (ſubiungit) moribus vtentium in contrarium nonnulię leges hodie abrogatæ ſunt, ita moribus vtentium ipſæ leges confirmantur. Exemplo; *Vnde illud* (ait)

*Te-*

*Teleſphori Papę, qui decreuit, vt generaliter Clerici a quinquageſima a carnibus, & delicijs ieiunent, quia moribus vtentium approbatum non eſt, aliter agentes tranſgreſſionis reos nō arguit.*

2. Ex reſp. Iulia. in l. de quibus ff. de ll. h. v. *Nam, cum ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quam, quod iudicio Populi receptæ ſunt, merito ea, quæ ſine vllo ſcripto Populus probauit, tenebunt omnes.* Ex eo igitur vim conſuetudinis arguit in Populo, quia nec leges valent, niſi ab eo recipiantur.

3. Quia legislatori abeſt tum poteſtas, tum voluntas obligandi lege ſubditos, niſi fuerit eorundem moribus acceptata.

3 Primũ caput poteſtatis hoc fundamento nititur. Princeps Magiſtratuſq; Ciuilis habet à Pop. poteſtatem per l. Regiam l. 1. ff. de conſt. Prin. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. nat. &c. Atqui ſub ea conditione potuit facultas illa à Populo dari, vt non prius obligaretur Principali lege, quā eam ipſe acceptaſſet; ergo ſub tali conditione fuiſſe traditam, vti vero conſimillimum iudicandum eſt.

4 Sequela hæc ſuadetur ex pluribus. Et primo ex vetuſtiſsimo Romani Populi more, quem referunt Alex. ab Alex. Gen. lib. 6. cap. 23. Couarr. pract. q. c. 1. vt nullius exempli, nullarumq; virium eſſe cenſeretur lex, quā Populus facta promulgatione reieciſſet ſecundo. quia perpetuus vſus optimus antiquitatis Magiſter condocet, quaſcumq; leges ab acceptatione, aut recuſatione ſubditorum obligandi vim, ſiue potentiam ſumpſiſſe, vel amiſiſſe, quo maxime euincitur, non omnino Populum renunciaſſe iuri ſuo per l. Regiam, nec profecto veriſimilis videtur, tam prodiga Populi effuſio in Principem 3.

5 quia hoc ipſum communi bono maxime expedit, nam loco, ac tempori conuenirè lex debet. c. erit autem lex. 4. diſt. quod ex alio magis, quam nutu, aut renutu Populi non aperitur; qua ratione multi autumant, Rempubl. Principe ſuperiorem eſſe in his, quæ ſupremum regimen tangunt, qualis legislatio eſt.

6 Aliud præterea fund. quo nititur primum illud caput, eſt præcipuum in lege requiſitum, vt ſit vtilis d. c. erit autem lex 4. diſt. Vbi igitur ex lege lata ſeditio timeri po-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*anima poteſtatibus ſublimioribus ſubita ſit.* Quod magis dicendum in Pontifice, qui integram habet non à populo, ſed à Deo legis ſanciendæ authoritatem.

12 2. Ex vulg. axiomate; Nam, quod ab alio non pendet in fieri, non poteſt ab eodem pendere in conſeruari. Lex autem non pendet à populo in fieri, ſed omnino à ſuperiore, & Principe.

13 3. Quia ſingularis præcepti ad priuatum hominem, & vniuerſalis legis ad vniuerſum Populum eadem videtur habitudo, atq; proportio; Cum igitur particulare præceptum priuatum hominem, licet inuitum ſemper obliget, haud minus totum Populum publica lex licet inuitum, ac tergiuerſantem obligabit.

14 4. Nam Princeps tota Rep. ſuperior eſt, totam igitur compellit, atq; obligat. Anteced. patet, nam ſi neges, ſuperiorem eſſe, non niſi æqualis, vel inferior eſſe poterit, omni alio gradu incognito. Aequalis non, quia Reſp. haberet duo capita, & nullum poſitiue ſupremum, nec minor in coetu Ciuium, quam in Principe eſſet legislatiua poteſtas. Non inferior, nam ſuo Principi ius dicere, atq; imperare, & quod plus eſt deponere eundem, ac punire poſſet vniuerſa Reſp. quæ omnia valde diſſona. Conſeq; prob. Etenim ſi Princeps totam Remp. obligandi ius nō habet, igitur illa principalibus mandatis obſiſtere, ac tergiuerſari iure poterit, eritq; ab vtraq; parte bellum iuſtiſſimum, quod nec minus abſonum.

5. Quia videretur inefficax, & plane inutilis legislatiua poteſtas, ſi Principi, ad acceptandam, ſeruandamq; legem cogendi ſubditos ius non eſſet.

15 6. Quia vſu conſtat, promulgata lege puniri tranſgreſſores, pœniſq; compelli, nulla populi acceptatione expectata, quæ coerctio, ſi iuſta eſt, iuſtam quoq; præſupponit obligationem.

16 Deniq; peccat populus, vbi legem latam initio violat, quo ſatis aperitur, ius omne contradicendi abeſſe.

Hæc videntur expreſſa in princ. Auth. vt fa. no. conſtit. quo loci poſt legis publicationem, lapſumq; temporis deſignati præciſe iubetur obſeruatio, nullo appoſito de acceptatione verbo. Nec longe abeſt Grat. in d. c. in iſtis §. leges, etenim, ſi lex inſtituitur, dum promulgatur, iam lex eſt, neq; acceptatio quæritur.

17 Su-

17 Supremæ poteſtati adhæret coniecturata voluntas, neq; enim apparet, cur præſumi debeat magis in Principe animus ſuſpendendæ obligationis in Populi acceptationem, quam contrarius. Nam ſi de vſu quærimus, conſtat, trãſgreſſoribus indici pœnas, quibus ad executionem legis omnino compellantur. Si legis imaginem ſpectamus, hæc profecto in Principe eſt ſummi Imperij nota, quod ſemper neceſſitatem affert, & indicium voluntatis obligandi commoſtrat. c. dilectiſſimi 8. quæſt. 1. cap. poſtea quam 25. quæſt. 1. Hinc violatores peccant, & iuſte puniuntur; eſſent autem commentitiæ culpæ, & fruſtratoriæ pœnæ, ſi in acceptationem Populi ſuſpenderetur legis obligatio; ſicut etiam inanis fieret in Principe poteſtas, quæ tamen adeo communi bono, Reiq. publicæ neceſſaria eſt, vt ea vſum fuiſſe Principem, ſit omnino credendum, niſi apertiſſimæ coniecturæ alio animos impellant. Neq; hoc idem ſibi minus vendicant verba legis, qquæ cum ſimpliciter præceptiua ſint, nil profecto viderentur præcipere, ſi contradicendi ius aliquod ſubditis in eſſet. Contradictio deniq; vt dixi, peccatum habet, iuſta lege ſuppoſita; quod autem peccati labem contrahit,
18 ea prærogatiua dignum habendum non eſt, vt ſupremę poteſtati quicquam, vel minimum, detrahere valeat. Quidam hæc ita conciliant, vt velint, tunc demum poſſe legem á Populo recuſari, ſi iniuſta ſit, aut dura, vel difficilis.

19 Equidem iniuſtam legem non modo recuſari poſſe, verum etiam omnino recuſandam eſſe exiſtimarim, vbi præcipue ex parte materiæ iniuſta ſit, quod rem iniquam præceperit. At quando alio reſpectu iniurioſa eſt, quod præ graue aliquod onus ſubditis imponat, tunc profecto ſubditorum acceptationem expectat, quia legislatoris poteſtatem excedit, neq; ea lege, vt lex eſt, inuitus quiſpiã obligari poteſt, quod Greg. probai in c. 1. 31. diſt.

20 At in lege dura, atq; difficili haud facile agnoſco, quod dicitur, niſi forte durities ad iniuſtitiam vergat, vt in ſuperiori exemplo. Cœterum, ſi intra latitudinem iuſtæ legis perambulet, exiſtimo non poſſe legem euitari, niſi e Principis voluntate, cui preces porrigendæ ſunt, adeo aperte Vlp. in l. proſpexit ff. qui, & á quibus. *Quod per*

*quam.*

*Legis origo, vnde.* 1
*Deus eminentiori modo concurrit ad legem quam ad conſuetudinem.* 4
*Legis origo ſemper à dominante, conſuetudinis vero ſemper a ſubditis.* 5.12
*Populus idem, & dominantis rationem habet, & dominatis.* 6
*Lex ſuffragio conditur, & abrogatur.* 7
*Conſuetudo à tranſgreſſione incipit, & peccato.* 8.10
*Author legis ſemper certus, conſuetudinis incertus.* 9
*Conſuetudinis macula quomodo depurgetur.* 11
*Triplex conſuetudini adſenſus à Principe.* 13
*Modus originis in conſuetudine, & lege, & præeminentiæ ratio.* 14
*Eminentiſsima pars iuris Lex 12. Tab.* 15
*In minori dignitate maior prudentia perſæpe rutilat.* 16

SVbſequitur alia quæſtio *de præeminentia*, *ſeu nobilitate*, quam ego triplicem facio; Vt. 1. quæram de maiori nobilitate. 2. de maiori vetuſtate, 3. de maiori potentia. Quomodo auté hæc ſecernantur, & quam male confundantur à cæteris, inferior appendicula docebit.

1 In 1. quæſt. Pro maiori dignitate iuris non ſcripti certari ſolet vel armis potentiæ, vel gloria, & veneratione antiquitatis. Nos autem hæc ſecludimus nunc; ideoq. duobus alijs præter hæc leuiſsimis defenditur hæc pars, quam ſuſtinet idem Bero. nu. 12.

2 1. eſt. Nam ab origine diiudicatur præeminentia, & dignitas. c. duo ſunt. 96. diſt. c. ſolitæ de maior. & obed. At lex à Principe, conſuetudo vero à Populo eſt, atque adeo conſuetudo magis integrum iudicium habet, utp. plurimorum ſententijs confirmatum. c. extra conſcientiá 64. diſt. c. per hoc 6. verum. cum Gemin. de hæret. in 6.

2. Quia lex, & conſuetudo ab ijſdem oriri principijs, & circa idem ſubiectum verſari, in eundemq. finem tendere poſſunt; quo fit, vt natura eadem, pariq. dignitate cenſeri debeant. arg. l. illud. ff. ad l. Aq. l. à Titio. ff. de verb. oblig.

Ad ſump. patet, ſi dominetur Populus, conſuetudiniq. comparetur lex, quæ ab eodem populo fit, tunc .n. profecto æqualis erit vtriuſq. dignitas, & ſplendor ab origine, quæ

vna eſt, quod ſecus, vbi ſubditorum mores Pŏtificijs, Imperatorijs, Regijs ve conſtitutionibus conferuntur.

Ex aduerſo pro maiore nobilitate legis certāt omnes, quam in tuto ponunt origo, eiuſq. modus, præeminētia, & partes, etenim in ſubiecto, ac ſine nihil prorſus conſtitui poteſt.

3 Ab origine ſic omnes arguunt. Origo legis eſt à Deo, à Pontifice, ab Imperatore, à Rege, poteſtate à Deo tradita, à quo omnis Iuriſdictio profluit, omnis poteſtas; conſuetudinis autem origo à populo, ergo, &c.

Originem à Deo probant; Nam primæ leges fuerunt ab ipſo Deo traditę Moyſi in ſummitate Mōtis Synai 12. Exod. rela. in c.1. 7. diſt. & quia lex inuentio quædam dicitur, & donum Dei. Martia. ex Demoſth. in l.2. ff. de ll. ad quē ita Conna. lib.1. c.8. nu. 2. *Demoſthenes inuentum, & donum Dei quoddam legem eſſe dixit; non quod quæq. lex tam tanta ſit, & iuſta, vt digna ſit, quæ ad Deum referatur, ſed, quod ipſum hoc, vt legibus viuamus, tantam attulit rebus humanis vtilitatem, vt ab aliquo Deo datum, inuentumq. eſſe videatur.* Hæc ille. Nos autem (quicquid ſenſerit Demoſth. Ethniciq. omnes) dicimus, Legiſlatorem, quaſi Dei Miniſtrum, & poteſtate à Deo tradita leges ſancire, iux. illud Pau. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo*, & alia, de quibus alibi opportunius. Quo ſenſu dictum in c.fin. 16. q. 3. *Sed, & venerandæ Romanæ leges diuinitus per ora piorū Principum promulgatæ, &c.*

Atqui Dec. n. 2. etiam conſuetudinem à Deo eſſe contēdit, cū omnia, quæ in vniuerſo fiunt, Omnipotentis Dei permiſſu fieri dicantur. c. nec mirum 26. q. 5. Not. Panorm. in c.1. de ſepult. n.1.

4 Sed adhuc (replicant alij) vincit lex, cum ad hanc Deus eminentiori modo concurrat, legem .n. effectiue cauſat. d. c.1. 7. diſt. conſuetudinem vero permiſsiue.

5 Ego autem ſic argumentor ab origine. Legis origo ab eo ſemper eſt, qui dominatur, & præeſt, conſuetudinis vero ſemper à ſubditis, & qui parent; quare ſemper antecedit lex.

Conſeq. nota eſt, & quod adſumitur, facile probatur; namque vbi Populus, à quo conſuetudo emanauit, Principem habet, ſeu Regem, cui pareat, nihil prohibet dicamus, im-

perantis legem imperati Populi conſuetudine digniorem eſſe. Vbi vero dominatur Populus, ab eodemq. Populo conſuetudo effluit; qualis Romani Pop. conſuetudo ante legem Regiam, tunc, ne aberremus cum cæteris, & cum
6 Alia potiſsimum, rationem duplicem diſtinguemus in Populo, licet. n. re ipſa Populus idem ſit, rationem tamen, & dominantis habet, & dominati, quippe idem Populus duplici reſpectu, & imperatur, & imperat, vt cõſtat ex ſe.

Statuo igitur, legem à Populo, vt dominante conſuetudinẽ vero à populo, vt dominato promanare. Fertur lex à Populo in vnum conuocato ad ferenda ſuffragia. d. l. de quib. ibi *ſuffragio ne populus*, & c. 6. Senatus conſulta Inſt. de iu. Nat. ferturq. ſuprema populi poteſtate omnibus tradita, vt vniuerſis, nõ vt ſingulis: at conſuetudo ſingulorum hominum rebus, factiſq. inducitur d. l. de quibus, atq. ideo à populo, vt dominato, & deinceps à populo dominante, quaſi à Principe, aut expreſſè, aut tacitè, aut mixtim approbatur, vt infra declaro.
7 Hoc idem mihi ratio duplex apertiſsimè commonſtrat. Quoniam, vbi lex ſuffragio conditur à Populo, nouo etiã, contrarioq. ſuffragio, ſiue alia poſtea lege lata ab eodem Pop. vti Principe abrogatur, non autem conſuetudine, vt alibi oſtendam; vbi igitur eiuſdem Populi conſuetudine, ſeu magis deſuetudine lex antiquatur, fatendum eſt, hanc ab eo non eſſe, vti dominante, atq. Imperante, ſed imperato, ac dominato ſub eodem rationis diſcrimine.
8 Item, quia conſuetudo à tranſgreſsione incipit, & peccato, vt infra dicam; peccarunt igitur, pœnamq. initio meruere, qui aduerſus populi legem agere cœperunt. Atqui pœna hæc, ſiue culpa violatæ legis dominanti populo neque adſcribi, neque irrogari poteſt, cum eiuſdem ſit potentiæ legem condere, & abrogare. Igitur dominato, qui vtriuſq. capax.
9 Neque illud inutile, quod ex Conna. docuimus anteced. quæſt. authorem legis ſemper eſſe certum, conſuetudinis ſemper incertum; proprium .n. conſuetudinis eſt, vt ſingulis hominibus propemodũ imprudentibus ſe ſe quaſi arroganter inſinuet.
10 At quæſo conſuetudinis ſemina omnia diligẽtius intueamur.

mur. Hæc plerunq. contra legem, quandoque etiam præter legem, aut ſecũdum legem inducitur. Vbi autem contra legem eſt, nõ modo illuſtre, præclarumq. initium nullum habet, ſed omnino turpe, atq. obſcurum, quia ſemper à peccato. 1. quia non poteſt inchoari, niſi à tranſgreſsione iuſtæ legis, vt igitur præſcriptio, quæ à mala fide incipit, culpam, peccatumq. habet, ita cõſuetudo, quæ à tranſgreſsione; ſiq. lex Principis iuſta, rationiq. conſona eſt, non poteſt iuſta, rationabiliſq. cenſeri cõſuetudo, quæ legi aduerſetur, neq. n. iuſtum iuſto, aut rationabili rationabile contrarium. 2. quia conſuetudo conſenſum Principis expectat, vt infra: At non poteſt initio Princeps conſentire in tranſgreſsionem iuſtæ legis; tranſgreſsio igitur non euitat culpam, qua ratione conſuetudini ſupremã illam authoritatem nonnulli denegarunt, vt poſsit frangere legem, ex præſcripto l. 2. C. quæ ſit lon. conſue.

Dices, Si conſuetudinis initia continuo culpa comitatur, quę poterit eſſe rationi conſona, aut iuſta conſuetudo? exigũtur. n. hæc omnino. c. fin. de conſuet.

11 Reſpon. purgari conſuetudinis maculam, quando legitime præſcripta eſt, tunc. n. neque communi bono, neque vlli vltra legi aduerſatur; non quidem naturali, aut diuinæ quia nulla conſuetudine, aut præſcriptione deleri poſſunt; ſed neq. humanæ, hæc, n. legitime præſcripta conſuetudine antiquatur.

12 Vbi vero præter legem eſt, aut ſecundum legem, adhuc ſemper humile principium habet, quoniam à ſingulis hominibus, populoq. vt diximus, imperato originem trahit.

13 At obijciunt, parem in conſuetudine, atq. in lege Principis conſenſum, authoritatemq. exigi, in quo variæ ſunt Scriben. ſententiæ, traditioneſq. Sanchi de Matrim. lib. 7. diſp. 82. nu. 20. At Princeps, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue Laicus poteſt tribus modis conſuetudini adſentiri; expreſsè, ſi ſcienter approbet; tacite, ſi diſsimulet; & mixtim quodammodo, ſi communi lege ſtatuat ſemel, vt conſuetudo quæq. legitime præſcripta, rationiq. congruens vim legis obtineat. d. c. vlt. de conſuet. tunc. n. generaliter, & quaſi expreſsè conſuetudines omnes approbat in futurum inducẽdas, neq. opus, vt ſingulas noſcat, agnoſcat ue.

Quibus

Quibus oſtenditur ſatis, conſuetudinem à populo effectiue eſſe, à Principe autem permiſsiue tantum. Immo conſuetudinem à lege Principis vim, ac nobilitatem ſuam mutuari, cur igitur legi anteferatur, aut etiam comparetur?

14 A modo originis argumentum ducitur huiuſmodi. Lex à Populo ſoli mnirogatione fertur. §. Lex. cum Scriben. Inſt. de Iu. Na. à Principe etiam eleganti forma præſcripta in ll. humanum C. de ll. conſuetudo autem à ſingulis, à vulgo eſt, nullaq. in ea ſolemnitas, ſed quaſi arrogantér ſe ſi inſinuat, eiuſq. initia tranſgreſsio, & culpæ labes comitatur.

Præeminentiæ rationem deducit Iac. Cuiac. in d. l. de quibus ff. de ll. ex deciſione l. 2. C. quæ ſit long. conſ quam ita interpretatur, vt in dubia quæſtione, *vtrum lex, an conſuetudo debeat obtinere*, pro lege reſpondendum ſit; nam *ſui momento*, hoc eſt, pondere, & dignitate non adeo valere conſuetudo debet, vt rationem vincat, aut legem. Sed de hoc inferius.

15 A partibus denique arguitur, quoniam eminentiſsima Iuris pars eſt 12. Tab. lex, quæ ſcriptum ius conſequitur; quare, &c.

Probat etiam Rimin. nu. 37. ſpeciali quodam priuilegio ſcriptum ius fuiſſe à Principe illuſtratum, ſed conuertitur ad nugas.

Ex his tollitur. 2. arg. quod vrgebat.

Primum autem retorquetur, ex quo. n. conſuetudo à Populo eſt, inde ſit nobilitate obſcurior. Nec valet, magis integrum eſſe totius populi iudicium, nanq. ſi concedatur prudentia maior, negabitur tamen maior nobilitas, quippe valde diuerſa hæc ſunt, & in minori dignitate maior prudentia perſæpe rutilat. Præter quam quod & Princeps poteſt in condenda lege ſapiẽtes viros conuocare, & conſulere, prout ſemetipſum humaniter deuincit in d. l. humanum. Hæc de nobilitate.

*Dictio ex ſeparationem temporis notat.* 1
*Ius Ciuile ſimul tempore cum conditis Ciuitatibus.* 2
*Lex quaſi Conſuetudinis exemplar.* 3
*Conſuetudinis triplex virtus.* 4

Conſuet.

*Conſuetudo deficiente lege ſuſcipitur.* 5
*Conſuetudinis origo vetus.* 6
*Conſuetudinis appellatione ius ſcriptum aliquando ſignificatũ, & cur.* 7
*Conſuetudo bis ſcriptam legem anteceſsit.* 8
*Primordijs Eccleſiæ iura non ſcribebantur.* 9
*Conſuetudo materialiter ſumpta, aut formaliter.* 10
*Conſuetudinis inductio non niſi in Ciuitate poſsibilis.* 11
*Lex, & conſuetudo ſimul tempore.* 12
*Conſtitutionum origines.* 13
*Conſuetudine etiam nouum Ius inducitur.* 14

IN 2. quæſt. *de maiori antiquitate*, qui cenſent, ſcriptum ius nobilius eſſe, ijdem quoq. cenſent, eſſe vetuſtius, quaſi prçeminentia antiquitatis ſit nobilioris conditionis certiſsimum argumentum, aut neceſſaria cauſa.

Fund. eſt, quod Grat. ſcriptũ reliquit in c. vlt. 6. diſt. h. u. *Ius vero conſuetudinis poſt naturalẽ legẽ exordiũ habuit, ex quo homines conuenientes in vnum cœperunt ſimul habitare, quod ex eo tempore factum creditur, ex quo Cain Ciuitatem ædificaſſe legitur, &c.* Aiunt, iuris naturalis nomine ius gentiũ ſignificari, quod ſecundarium vulgo appellãt, poſt quam .n. ſcripſit Grat. conſuetudinis ius poſt naturalem legem ſumpſiſſe exordium, explicans ſubiungit. *Ex quo homines conuenientes in vnum cœperunt ſimul habitare*, quę pars Ius gentium reſpicit, quo ædificia collata. l. ex hoc Iure. ff. de Iuſt. & Iu. Ad huc vero ambiguum videbatur, an conſuetudo anterior eſſet, vel poſterior iurę Ciuili, vt igitur poſteriorem eſſe oſtenderet, ſubnectit, ex eo tempore factum, *ex quo Cain Ciuitatem ædificaſſe legitur*. Senſus igitur eſt, ortum conſuetudinis fuiſſe poſt ædificatam Ci-
1 uitatem, nam verba illa *ex eo tempore* ſeparationem temporis connotant. l. vlt. C. de temp. in integr. reſt. ibi *ex die, ex quo, &c.* & inf. *Ex quo viceſimiſexti anni, &c.* Sic itaq. argumentantur. Conſuetudo fuit poſt conditas Ciuitates
2 d. cap. vlt. Ius Ciuile fuit ſimul tempore cum Ciuitatibus conditis §. ſingulorum Inſtit. de rerum diuiſ. Ergo Ius Ciuile, quod ſimul tempore extitit, conſuetudine anterius eſt.

Confirmant, quia in Ciuitate condita per Cain poſuerunt

eſſe homines literarum periti, qui ante ortam conſuetudinem ſcripto Iure vſi fuerint.

2. Arg. Conſuetudo legem imitatur. §. ex non ſcripto Inſt.
3 de Iu. Nat. Lex igitur quaſi conſuetudinis exemplar, ſiue Idæa quædam eſt. At exemplar neceſſario præexiſtit. l. in teſtamento. 27. ff. de cond. & dem.

4 Confirm. Nam conſuetudinis triplex eſt virtus; Vt legem imitetur. d. §. ex non ſcripto. Corrigat. c. vlt. de conſuet. declaret. l. ſi de interpretatione ff. de ll. c. cum dilectus de conſuet. At hæc omnia præſeferunt legem.

5 3. Nam conſuetudo non niſi deficiente lege ſuſcipitur. c. conſuetudo. 1. diſtin. Sequitur ergo legem.

6 At conſuetudinem antiquiorem eſſe probat ex aduerſo Franc. Conna. lib. 1. c. 10. n. 2. Vbi in hæc verba. *Nam prima iuris fundamenta iecit natura, tum permulta hominum moribus acceſſere, quæ vtilitatis ratione venerunt in conſuetudinem, & horum quædam, quia certa, vtilia, & neceſſaria, ne quid contra peccaretur, obſepta ſunt legibus, quædam, quia incerta, dubia, atq. obſcura, conſuetudinis arbitria ſunt relicta, vt magis permiſſa, quam iuſſa, aut imperata viderentur, vt explicat Tull. lib. 2. de inuen. vbi tandem colligit, ius eſſe, quod aut leniter a natura tractum, aluit, & maius fecit vſus, vt Religionem, aut ſi quid eorum, quæ ante diximus, a natura profectum, maius factum propter conſuetudinem, aut quod in morem poteſtas vulgi approbatione perduxit. Prima igitur Populorum ſcita fuere earum rerū, quas vitæ degendæ commodas eſſe, multo vſu experti erant; cæteras, de quibus aliquod, ſed non certum habebant iudicium, conſuetudinis poteſtati reliquerunt, vt ad eas homines nullis legum minis compellerentur, ſed ſi ita ferret vſus, ſponte ſua adducerentur. Quapropter exiſtimauit Plato, ius hoc non ſcriptum ſcripto eſſe vetuſtius, quod etiam confirmat ab Hiſtoria temporum, quia fuerit tempus, quod diluuium proxime ſecutum eſt, cum rudes eſſent, & ignari literarum homines, his a Cadmo nondum repertis, quo tempore nullis dum legibus potuerunt gubernari, ſed tantum moribus.*

Hæc eleganter Connan. quæ ſimul explicant Gratiani ſententiam in d. c. vlt. 6. diſt. cum ait.

At idem quoq. Grat. in ſum. diſt. 1. *Humanum genus* (inquit) *duobus regitur, naturali videlicet iure, & moribus.* Et

ibid.

ibid. c. conſuetudo *Apparet, quod conſuetudo eſt part im redacta in ſcriptis, partim moribus tantum vtentium reſerua ta. Quæ in ſcriptis redacta eſt. conſtitutio, ſiue Ius vocatur, quæ vero in ſcriptis redacta non eſt, generali nomine, conſuetudo, videlicet, appellatur.* Et ibid. Iſid. c. 1. *Omnes lege, aut diuinæ ſunt, aut humanæ, diuinæ natura, humanæ moribus conſtant.*

Ex quibus habes, quod adhuc nemini perſpectum ſatis ea

7 Ratione morum, & conſuetudinis appellatione ſcriptum, & non ſcriptum ius ſignificari, quia ius illud, quod ſcriptum modo eſt, obſeptumq; lege, erat ante conſuetudo, & vſus, non quidem formaliter, quia per ſcripturam immutari non potuiſſet, vt alibi opportunius, ſed quaſi materialiter, & ſecundũ quid, nondum .n. orta lege nulla poterat eſſe formalis diſtinctio inter ipſam, & conſuetudinẽ

8 At videtur etiam huius ſententiæ veritas Romano Iure expreſſa, vt l. 2. in princ. & ſ. exactis ff. de orig. Iu. Etenim Populus initio Romanæ Ciuitatis ſine certo iure vixit, donec Romulus, ceteriq; Reges ſcripta quædam iura ſanxere, quæ vna cum Regibus deleta. Iterum verò Romanus Populus cœpit incerto iure, & conſuetudine vti, donec leges 12. Tab. promulgatæ fuere. Bis igitur conſuetudo ſcriptam legem anteceſsit, nam primo Regiam legem, deinde Tabularum ſanctiones.

9 Sed, nec minus Eccleſiaſtico Iure comperta; nam (quod deca obſeruat) primordijs Eccleſiæ non ſcribebantur Iura, ſed quaſi moribus degebatur.

10 At prælaudata Connani verba vtramq; ſententiam gratioſe conciliant, ni fallor. Aut enim conſuetudo ſumitur materialiter, qualis conſuetudo illa Connani ante omnem legem poſt naturale ius omnino informis, vt quæ nec Iuris ſpeciem, neq; ad ius, quod non erat, proportionem aliquam habere poterat, eratq; qualis qualis vſus, nec vim, nec formam Iuris habens, & hæc profectò lege vetuſtior, de qua tamen non diſputamus.

Aut formaliter accipitur, vt formam habet elegantem ſibi traditam à Iure, vigoremq; Iuris, & hæc quaſi legis fœtus eſt, & omnino poſt legem; quis enim ante legem dixerit conſuetudinẽ eſſe, cũ hęc ſpeciem acceperit a lege? Vt enim rationi congruat, vt exempla habeat rerum iu-

dicatarum, præfinitaq; tempore, quibus quaſi coaleſcat, omnia hæc à lege ſunt. dicto §. ex non ſcripto dicta l. de quibus d.c.vlt. de conſuet. cum Interp. Nec poteſt conſuetudo imitari legem d. §. ex non ſcripto, quæ ante legē ſit. Quod ſi dicta repræhendas, perſoluam conſuetudini debitum, nec diffitebor, lege vetuſtiorem eſſe.

11 Fund. 1. ex Grat. d. c. vlt. 6. diſt. poſita Cōnani animaduerſio prorſus demolitur; at vel illud maxime, quia cum tacite inducatur conſuetudo a Populo d. l. de quibus d. § ex non ſcripto, impoſſibilis inductio eſt, niſi Populus in vna, eademq; Ciuitate, veluti communi quadam domo ſimul habitet, quod naturali iuri inducendo neceſſarium non fuit. Hæc igitur Gratiani mens, & ratio diſcriminis neq; aliud vltra ſenſit.

12 Sed quicquid demum ſenſerit, non vrget. Etenim ſi cōſuetudo extitit, ex quo, conditis Ciuitatibus, cœperunt homines ſimul habitare, leges vero, quando condi cœperunt Ciuitates, profecto aliud non probatur, quam ſimul tempore fuiſſe cum lege conſuetudinem, ex quo enim condi cœperunt Ciuitates, ex eo homines cohabitare cœperunt in vnum, & viciſſim.

13 Sed videamus, quo nam diſcrimine Grat. vtrumq; ius, & conſuetudinis cenſuerit, & legis. Is, cum prædocuiſſet, Ius conſuetudinis habuiſſe exordium, ex quo Vrbe condita à Cain cęperunt homines ſimul habitare, Satim ſubiungit initio 7. diſt. *Ius autem conſtitutionis cœpit a Iuſtificationibus Moyſi traditis à Domino, &c.* Nunquid prius non fuit Cain, quam Moyſes? Non prius ædificata Ciuitas, quam traditæ Iuſtificationes?

Huic ſubſcribit Iſid. c. 1. Numam Pompilium, qui Romulo ſucceſſit in Regno, primum leges Romanis edidiſſe. Dicam igitur, anteceſſorem eius Romulum conſuetudine, & moribus fuiſſe vſum. At (inquies) tulit Romulus pauciores quaſdam leges d. l. 2. ff. de orig. Iu. Sed non minus eadem l. probatur in princ. ante leges à Romulo latas Pop. Rom. moribus, & conſuetudine vixiſſe, neq; vltra tam apertæ rei probatione opus. Qui ſcripta iura primi ſanxerint, adde Alex. ab Alex. Gen. die. lib. 6. c. 10. nec non Hiſtoriarum Scriptores.

Ad 2. R. imitationem eſſe æqualis potentiæ, vt d. l. de quibus

bus ibi. *Nec refert ſuffragio, ne Populus, &c.*

14 Ad confirmationem, vt alia prætercam, Reſpondetur conſuetudine etiam nouum ius induci, cui anterior lex nulla præſuponitur.

Ad 3. Reſpondetur inuenta demum lege, ſuſcipi conſuetudinem, quando illa deficiat; ex hoc itaq; non arguitur, legem vetuſtiorem eſſe. Nimis autem Iſidoro, & Gratiano adſentimnr, quos refellere non prohibemur.

Habes quomodo vtramlibet partem contueri valeas, mihi verò poſita diſtinctio admodum placet.


*Legum inſtitutio.*

*Clerici hodie à quinquageſima non ieiunant à carnib.* 2.

*Poteſtas, ac voluntas legislatoris cum iudicio Populi confertur.* 3. 8. 11. 17. 34.

*Princeps à Populo eſt.* 3.

*Mos, vſus, ac veriſimilitudo in acceptatione Pop.* 4. 15. 29.

*Loco, tempori, rerumq; vtilitati lex conuenire debet.* 5. 6.

*Facultas abrogandæ legis per diſſenſum præſcritta à Pop.* 7. 33

*Lex communis Regula eſſe debet.* 8.

*Principis voluntas quomodo interpretanda in lege.* 9.

*Lex obligat ſtatim ad obſeruantiam.* 10

*Quod ab alio non pendet in fieri, nec pendet in conſeruari* 12.

*Singularis præcepti, vniuerſaliſq; legis proportio.* 13.

*Princeps tota Rep. ſuperior.* 14.

*Peccat Populus, qui latam legem initio violat.* 16.

*In Principe non præſumitur animus ſuſpendende obligationis in Pop. acceptationem.* 17.

*Quod peccati labem contrahit, non detrahit poteſtati.* 18.

*Iniuſta lex aut recuſari poteſt, aut debet.* 19.

*Lex dura, iuſta tamen, non euitatur.* 20.

*Aut ſaltem obligat in actu primo.* 21.

*Lex a maiore parte Populi reiecta cęteros non ligat.* 22.

*Moribus firmari leges quomodo intelligatur.* 23.

*Explicatur Iulia. ſententia in l. de quibus ff. de ll.* 24

*In democratia totus Populus concurrit.* 25.

*Acceptatio legis a populo, vt imperato eſt.* 26.

*Promulgatio vetus Rom. Pop.* 27.

*Lege Regia cuncta tranſlata in Principem.* 28.

*Sanctiones, quæ.* 30.

*Neglectam legem communi bono refragari; quomodo accipiendum.* 31.
*Quomodo etiam vtilitatem legis ſubditorum acceptationi commenſurari.* 32.
*Recuſatio legis, & deſuetudo.* 33. 34.

IN 3. quæſt. *de maiori potentia.* Ex triplici vultu legis ad conſuetudinē triplex quoq; voluitur quæſtio. Aut enim legi conſuetudo adſiſtit. Aut reſiſtit. Aut nouum aliquod inducit præter legem; & in ſingulis potentia maior conſtitui poteſt.

In prima inſpect. exiſtimatum quandoq; eſt, legem adeo pendere ab acceptatione, moribuſq; ſubditorum, vt obliget ſub inſita conditione. *Si moribus fuerit recepta.* Quod ſi verum eſt, conſuetudinis potentia ſupra legem in hac parte non erit incerta.

At primum de Ciuili lege poſtmodum de Pontificia diſſeramus.

In Ciuili conſtitutione communis Iuriſperitorum opinio ſtatuit in c. 1. de tre. & pa. vbi potiſs. cum alijs fely. acceptatione, moribuſq; Populi opus eſſe adeo, vt inde ſtatum omem, ac potentiam nanciſcatur conſtitutio, ſiue lex. De comm. Suar. de ll. lib. 3. cap. 19. num. 1. & Salas ibid. cum innum. quæſt. 96. tract. 14. diſp. 13. Sect. 1. num. 2. Sequuntur paſſim Theologi, & Sūmiſtæ, quos ipſi referunt, & nouiſs. Mart. Bec. Sum. Theol. 2. p. tract 3. cap. 6. queæſt. 8. num. 1. & 3. Nec longe abeſſe videtur Phil. Polit. lib. 2. cap. 6. in fin.

Prob. 1. ex c. in iſtis §. leges 4. diſt. vbi D. Aug. h. v. *In iſtis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas inſtituunt, cum tamen fuerit inſtitutæ, & firmatæ, non licebit Iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundum ipſas.*

Explicans Grat. ſubiungit. *leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur.* Si moribus firmantur, ſunt igitur infirmæ ante Populi acceptationem, vel ſolum in actu primo obligant, non ſecundo.

Confirmat idem Grat. ratione, & exemplo. Ratione, ſicut enim (ſubiungit) moribus vtentium in contrarium nonnullę leges hodie abrogatæ ſunt, ita moribus vtentium ipſæ leges confirmantur. Exemplo; *Vnde illud* (ait)

*Te-*

*Teleſphori Papæ, qui decreuit, vt generaliter Clerici a quinquageſima a carnibus, & delicijs ieiunent, quia moribus vtentium approbatum non eſt, aliter agentes tranſgreſſionis reos nõ arguit.*

2. Ex reſp. Iulia. in l. de quibus ff. de ll. h. v. *Nam, cum ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quam, quod iudicio Populi receptæ ſunt, merito ea, quæ ſine vllo ſcripto Populus probauit, tenebunt omnes.* Ex eo igitur vim conſuetudinis arguit in Populo, quia nec leges valent, niſi ab eo recipiantur.

3. Quia legiſlatori abeſt tum poteſtas, tum voluntas obligandi lege ſubditos, niſi fuerit eorundem moribus acceptata.

3 Primũ caput poteſtatis hoc fundamento nititur. Princeps Magiſtratuſq; Ciuilis habet à Pop. poteſtatem per l. Regiam l. 1. ff. de conſt. Prin. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. nat. &c. Atqui ſub ea conditione potuit facultas illa à Populo dari, vt non prius obligaretur Principali lege, quã eam ipſe acceptaſſet; ergo ſub tali conditione fuiſſe traditam, vti vero conſimillimum iudicandum eſt.

4 Sequela hæc ſuadetur ex pluribus. Et primo ex vetuſtiſsimo Romani Populi more, quem referunt Alex. ab Alex. Gen. lib. 6. cap. 23. Couarr. pract. q. c. 1. vt nullius exempli, nullarumq; virium eſſe cenſeretur lex, quã Populus facta promulgatione reieciſſet ſecundo. quia perpetuus vſus optimus antiquitatis Magiſter condocet, quaſcumq; leges ab acceptatione, aut recuſatione ſubditorum obligandi vim, ſiue potentiam ſumpſiſſe, vel amiſiſſe, quo maxime euincitur, non omnino Populum renunciaſſe iuri ſuo per l. Regiam, nec profecto veriſimilis videtur, tam prodiga Populi effuſio in Principem 3.
5 quia hoc ipſum communi bono maxime expedit, nam loco, ac tempori conuenirè lex debet. c. erit autem lex. 4. diſt. quod ex alio magis, quam nutu, aut renutu Populi non aperitur; qua ratione multi autumant, Rempubl. Principe ſuperiorem eſſe in his, quæ ſupremum regimen tangunt, qualis legiſlatio eſt.

6 Aliud præterea fund. quo nititur primum illud caput, eſt præcipuum in lege requiſitum, vt ſit vtilis d. c. erit autem lex 4. diſt. Vbi igitur ex lege lata ſeditio timeri po-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ceſt, aut perturbatio Reip. vbi etiam plus detrimenti afferre poteſt, quam vtilitatis, quia, vel illam ſubditi omnino abhorreant vel omnino inuiti compellantur ad eam ſeruandam; deniq; vbi inutilis ex quolibet, plenaq; diſcrimine reperitur, illico amittit obligandi vires, neq; poteſt à Principe confirmari, ſed ineuitabiliter infirmatur, & concidit. Atqui hæc omnia legi non acceptatæ contingunt; quare, &c.

7 Deniq; hoc ſibi quiſq; Populus præſcripſiſſe videtur, vt legem Principis, aut renitentia valeat, aut deſuetudine abrogare; Quinimo omni præſcriptione ſublata, ſi poteſt Populus deſuetudine abrogare lege iam obligantem, multo magis præuenire poterit, ne obliget.

8 Secundum caput voluntatis eo nititur, quia non eſt præſumenda in Principe voluntas, ſiue intentio obligandi lege lata abnuentem, Populum, atq; inuitum, quod ratione duplici conijcitur. Prima ratio, quia lex communis Regula eſſe debet. d. c. erit autem lex. Igitur non præſumemus Legislatori placuiſſe alterum, atq; alterum ſua lege obſtringere, vbi cæteri frequentius reſtitiſſe videantur, neq; communis Regula cenſeri poteſt, quæ communiter,& à maiore parte populi ſaltem non fuerit acceptata'. Immo, & ſubditi omnes iure poſſunt illius legis obligationem excutere,quæ frequentius recepta non fuerit.

9 Secunda ratio: quia Principis voluntas ita ſemper interpretanda eſt, vt communi bono conſulere velit, & tunc demum ſeruari legem, quando illa communi bono videatur expedire. At vbi lex non acceptatur à ſubditis, hæc omnia probabile eſt deficere, vt paulo ante memoraui, igitur non erit hæc præſumenda in Principe voluntas, vt in reiecta lege pertinacius inſiſtat, atq; perſiſtat; quæ omnia in Summo Pontif. omnino credenda non immerito exiſtimatum aliquando eſt.

At contraria ſententia verior; obligandi vim legi inſitam nullatenus pendere à ſubditis, & conſequenter peccaſſe illos, qui legem poſitam non ſeruauerint, vbi ſufficienter promulgata fuerit, donec legislator ſciens, & patiens voluntatem ſuam tacite ad commodauerit. Tenet Card. Zabar. in proe. Clem. ver. Vniuerſitatis quæſt. 2. & Turrecr. cum Archid. & Hug. in c.2. §. ideo diſt.4. ſily. cum

Panor.

Panor. in c. cognoſcentes num. 7. eod. Couarr. ( qui male ex aduerſo alleg. ) 2. Var. c. 16. num. 6. Ref. Suar. vbi ſup. n. 4. & Salas ibid. qui etiam hanc partem recte contuentur, quam Theologi comm. Neq; aliud quicquam voluit Ariſt. d. c. 6. ſi bene conſideres.

Fundamenta veritatis ſunt eadem, poteſtas ſcilicet, & voluntas.

10 Argumentor itaq; ſic. Lex, quæ ſatis promulgata eſt, ab eóq; propoſita, qui legiſlatiuam habet poteſtatem, obligat ſtatim ad obſeruantiam, ergo conſimiliter ad acceptationem; falſum eſt itaq; acceptationem eſſe neceſſariam conditionem ad vinculum, ſeu obligationem legis.

Vtraq; conſequentia aperta demonſtratione nititur; neq; enim fieri poteſt, vt effectus ſit conditio neceſſaria ad eſſe, vel operationem ſuæ cauſę, quippe huiuſmodi conditio ſemper in cauſa præſupponitur ad effectum neceſſario. Et comprobatur, quia vel ſubditi legem accipiunt vi, & impulſu eiuſdem legis, & conſtat, non requiri, acceptationem ad legem, ſed magis conſequi legem; aut libera voluntate, & nulla erit in lege obligandi poteſtas, quod abſonum.

11 Anteced. oſtenditur; nāq: ſupremo legiſlatori non deeſt poteſtas, poteſt etiam non deeſſe voluntas, quam profecto adeſſe credendū omnino eſt, vbi lex abſolute fertur.

At poteſtas iure magis ſuadetur ex l. 1. ff. de conſt. Princ. & §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. Nat. *Cum lege Regia, quæ de eius imperio lata eſt, populus ei, & in eum omne imperium ſuum, & poteſtatem conceſſit.* Neq; enim poterant plenius loqui, vt oſtenderent, nihil omnino Populum ſibi reſeruaſſe; nam; qui omne dicit, &c.

Sed rationibus declaratur ſimul, & confirmatur 1. Nam vbi regimen non eſt democraticum, populus ſupremam trāſtulit poteſtatē in Principem; ſiue lege Regia hoc ipſe fecerit, ſiue eo inuito iuræ belli, & victoriæ factum fuerit, ſiue vnus ille ſit, in quem translatio facta eſt, vt in Monarchia, ſiue Procerum conſilium, vt in Ariſtocratia, ſiue ex vtroq; mixtum, vt cum Senatu Dux, & conſim. Qui autem ſupremam ferendæ legis poteſtatem habet, is parem habet ad ligandos omnes ſua lege authoritatem, neq; vlla acceptatione opus, Vnde Pau. Rom. 13. *Omnis*

*anima poteſtatibus ſublimioribus ſubita ſit.* Quod magis dicendum in Pontifice, qui integram habet non à populo, ſed à Deo legis ſanciendæ authoritatem.

12 2. Ex vulg. axiomate; Nam, quod ab alio non pendet in fieri, non poteſt ab eodem pendere in conſeruari. Lex autem non pendet à populo in fieri, ſed omnino à ſuperiore, & Principe.

13 3. Quia ſingularis præcepti ad priuatum hominem, & vniuerſalis legis ad vniuerſum Populum eadem videtur habitudo, atq; proportio; Cum igitur particulare præceptum priuatum hominem, licet inuitum ſemper obliget, haud minus totum Populum publica lex licet inuitum, ac tergiuerſantem obligabit.

14 4. Nam Princeps tota Rep. ſuperior eſt, totam igitur compellit, atq; obligat. Anteced. patet, nam ſi neges, ſuperiorem eſſe, non niſi æqualis, vel inferior eſſe poterit, omni alio gradu incognito. Aequalis non, quia Reſp. haberet duo capita; & nullum poſitiue ſupremum, nec minor in coetu Ciuium, quam in Principe eſſet legiſlatiua poteſtas. Non inferior, nam ſuo Principi ius dicere, atq; imperare, & quod plus eſt deponere eundem, ac punire poſſet vniuerſa Reip. quæ omnia valde diſſona. Conſeq; prob. Etenim ſi Princeps totam Remp. obligandi ius nō habet, igitur illa principalibus mandatis obſiſtere, ac tergiuerſari iure poterit, eritq; ab vtraq; parte bellum iuſtiſſimum, quod nec minus abſonum.

5. Quia videretur inefficax, & plane inutilis legiſlatiua poteſtas, ſi Principi, ad acceptandam, ſeruandamq; legem cogendi ſubditos ius non eſſet.

15 6. Quia vſu conſtat, promulgata lege puniri tranſgreſſores, pœniſq; compelli, nulla populi acceptatione expectata, quæ coerctio, ſi iuſta eſt, iuſtam quoq; præſupponit obligationem.

16 Deniq; peccat populus, vbi legem latam initio violat, quo ſatis aperitur, ius omne contradicendi abeſſe. Hæc videntur expreſſa in princ. Auth. vt fa. no. conſtit. quæ loci poſt legis publicationem, lapſumq; temporis deſignati præciſe iubetur obſeruatio, nullo appoſito de acceptatione verbo. Nec longe abeſt Grat. in d. c. in iſtis 9. leges, etenim, ſi lex inſtituitur, dum promulgatur, iam lex eſt, neq; acceptatio quæritur.

17 Su-

17 Supremæ poteſtati adhæret coniecturata voluntas, neq;
enim apparet, cur præſumi debeat magis in Principe ani
mus ſuſpendendæ obligationis in Populi acceptationem,
quam contrarius. Nam ſi de vſu quærimus, conſtat, trã-
ſgreſſoribus indici pœnas, quibus ad executionem legis
omnino compellantur. Si legis imaginem ſpectamus,
hæc profecto in Principe eſt ſummi Imperij nota, quod
ſemper neceſſitatem affert, & indicium voluntatis obli-
gandi commoſtrat. c. dilectiſſimi 8. quæſt. 1. cap. poſtea
quam 25. quæſt. 2. Hinc violatores peccant, & iuſte pu-
niuntur; eſſent autem commentitiæ culpæ, & fruſtrato-
riæ pœnæ, ſi in acceptationem Populi ſuſpenderetur le-
gis obligatio; ſicut etiam inanis fieret in Principe pote-
ſtas, quæ tamen adeo communi bono, Reiq. publicæ ne-
ceſſaria eſt, vt ea vſum fuiſſe Principem, ſit omnino cre-
dendum, niſi apertiſſimæ coniecturæ alio animos impel-
lant. Neq; hoc idem ſibi minus vendicant verba legis,
quæ cum ſimpliciter præceptiua ſint, nil profecto vide
rentur præcipere, ſi contradicendi ius aliquod ſubditis in
eſſet. Contradictio deniq; vt dixi, peccatum habet, iu-
ſta lege ſuppoſita; quod autem peccati labem contrahit,
18 ea prærogatiua dignum habendum non eſt, vt ſupremę
poteſtati quicquam, vel minimum, detrahere valeat.
Quidam hæc ita conciliant, vt velint, tunc demum poſſe le
gem à Populo recuſari, ſi iniuſta ſit, aut dura, vel diffi-
cilis.

19 Equidem iniuſtam legem non modo recuſari poſſe, ve
rum etiam omnino recuſandam eſſe exiſtimarim, vbi
præcipue ex parte materiæ iniuſta ſit, quod rem iniquam
præceperit. At quando alio reſpectu iniurioſa eſt, quod
præ graue aliquod onus ſubditis imponat, tunc profecto
ſubditorum acceptationem expectat, quia legiſlatoris po
teſtatem excedit, neq; ea lege, vt lex eſt, inuitus quiſpiã
obligari poteſt, quod Greg. probat in c. 1. 31. diſt.
20 At in lege dura, atq; difficili haud facile agnoſco, quod
dicitur, niſi forte durities ad iniuſtitiam vergat, vt in ſu-
periori exemplo. Cœterum, ſi intra latitudinem iuſtæ
legis perambulet, exiſtimo non poſſe legem euitari, niſi
ex Principis voluntate, cui preces porrigendæ ſunt, adeo
aperte Vlp. in l. proſpexit ff. qui, & à quibus. *Quid per*

*quam durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt.* Atq; idem maxime ſuadet reuerentia Principis, & ſcandali metus. c. contra morem 100. diſtinct. Vel, ſi poteſt euitari lex, vt in
21 actu ſecundo non obliget, obligabit ſaltem in actu primo, vti aduerſus communiorem ſententiam tuetur Salas d. Sect. 1. per tex. in dicto §. leges, & in dicta lege de quibus.

Manet autem, quod receptum comm. teſte Suar. d. c. 19. n. 10. leges non valde aſperas, & rigoroſas, at ſuaues, faciles, Populiq; moribus accomodatus ſtatim recipi, & cuſtodiri oportere, nec poſſe impune violari, immo grauiter peccare ſubditos, qui ſatis promulgatam legem poſt lapſum præſtituti temporis neglexerint; lex quippe ad acceptationem obligat, vnde qui legem transgreditur, delinquit in eam, & qui non recipit, in hoc ipſo legem transgreditur.

Sed nec minus quandoq; concidunt præfatæ leges. Itaq; rei veritas vnica poſitione aperienda, ſcilicet Acceptandam eſſe initio legem ab vniuerſi. Item peccaſſe illos grauiter, qui primo tranſgreſſi fuerint, & qui primo tran-
22 ſgreſſores fuerint imitati. Cœterum, quando lex in eum ſtatum deuenerit, vt á maiore populi parte non ſeruetur, poſſe cœtereos maiori parti abſq; vllo culpæ crimine adhærere, atq; excuſari ab obſeruatione legis, quam nec pauciores commode ſeruare poſſunt; tunc etiam talem præſumi in Principe voluntatem, vt nolit in minori parte ſtare legis obligationem, quæ fuerit à maiore excuſſa, prætequam quod hoc ſibi merito quoq; iure ſubditi vendicant, quia lex generale mandatum eſt, communeq; iugum, cui non teneor ego humeros ſubmittere, quando cœteri frequentius renuunt.

At Suar. ibid. circa fin. aliud præterea exigit ob iuſtos, bonoſq; viros, vt obſeruantia inobſeruatæ legis communis perturbationem generet, diſcrimenq; habeat ſeditionis, & ſcandali, quod ipſe diiudicet.

23 Contraria facile tolluntur. Namq; Gratiani authoritas, quæ neceſſario non vrget, retorquetur, vt ſupra. Et, quod ſubijcit, moribus firmari leges; factũ ſignificat, non ius, quaſi dicat, tunc facto difficilius abrogari leges, quando vtentium moribus comprobatæ ſunt, nam iure ſatis

firman

ſirmantur ab ipſa inſtitutione; Hinc quod dicitur, leges accipere à moribus, & conſuetudine firmitatem ſtabilitatis, non autem firmitatem authoritatis.

Et ratio Grat. non minus reſponſionem confirmat, quam argumentum, ſicut enim facto Populi abrogantur leges, ita facto populi maxime, ſolideq; confirmantur, adeo, vt poſtea difficilius abrogentur.

Lex autem Teleſph. Pont. fuit deſuetudine antiquata, quæ vis deſuetudini non negatur. At profecto, licet conſuetudo legitime introducta excuſauerit ab obſeruatione legis, qui tamen primi legem tranſgreſſi fuere, peccati labem contraxerunt. De authoritate Grat. alibi quoq; verba fecimus.

24 At Iuliani ſententia 2. loco poſita varie explicatur, & quidem peculiari examine digna eſt.

Dicunt aliqui, olim Principem, & in Rom. Rep. Senatum magna ex parte dependiſſe à Populo, atq; inde Populum propoſitas ſibi leges infirmare potuiſſe. Hoc autem de Principe poſt legem Regiam affirmari non potuit. De Senatu quid ſentiam, docebo inferius.

Rectius alij reſpondere, Iulianum ſenſiſſe de Populo ſecundum ſe ſpectato, & ſecundum primœuam ſui naturam, atq; ita de Populo libero, & dominante, non ſubiecto. Ita Suar. de ll. lib. 7. cap. 9. n. 6. & qui ſup. Tunc enim acceptatio neceſſaria erat, quia Populus idem ſimul, ac ſemel, immediateq; legem ferebat, & acceptabat. Idem d. c. 19. n. 7. Salas d. ſect. 1. num. 3.

Sed tria obſtant 1. quod tempore Iuliani regnabat Princeps floruit enim ſub Adrian. Imper. teſte Cuiac. initio ad Sal. Iul. & Salas de ll. quæſt. 97. tract. 14. diſp. 19. Sect. 4. ſ. 3. Secundo, quia non niſi in democratia, quæ Regimen
25 habet imperfectiſſimum, & maxime rarum, vniuerſus Populus ad ferendam legem concurrit, neq; igitur ſemper idem populus fert ſimul, recipitq; legem, ſed comprobatio partis abſentis perſæpe deſideratur; præterquã quod ſucceſſores Populi, neq; adſunt, neq; ſunt, quorum metui reprobatio poſſet, & ſunt Populus idem l. proponebatur ff. de Iudic. 3. quia lex à Populo, vt imperante, conditur) acceptatio vero à Populo, vt imperato, profluit;
26 Neq; igitur Populus intellectu idem eſt, qui legem ſi-

mul

mul condit, & accipit.

Statuo ego veriſſimum eſſe, quod Suar. cœteriq; docuere, neq; enim refert, quo tempore Iulia vixerit, neq; hoc nouum videri debet, interdum in iure præſuppoſitum fuiſſe in ſua primœua natura Romanum Pop. quia legum abruptio, atq; adeo abruptarum compilatio hæc patitur, & multo peiora. Sic Caius in l. omnes popul. ff. de Iuſt. & Iur. præſupponit Populum omnino liberum, vt alibi adnoto & in l. 1. ff. de ll. definitur lex *Communis Reip. ſponſio*, quaſi ab imperante Rep. Vnde Conna. lib. 1. c. 4. n. 2. *Nos* (ait) *qui Regibus paremus, non communis ſponſio, ſed Principis authoritas obligat legibus.*

27 Cœtera non vrgent, & quatenus vrgerent, teneo, quod Suar. proponit, ſed non eodem modo. Exiſtimo enim Iuliani verba ad vetuſtiſſimum illum Romani Pop. morem eſſe referenda, quando palam proponebantur Populo leges, vt ipſe, penes quem ſupremum erat Imperium, diiudicaret, recipiendæ ne forent, vel magis abolendæ; quod latius alibi explico. Sententia igitur Iuliani eſt, licere Populo introducere conſuetudinem vim legis habiturã, cũ ab eius iudicio, & voluntate pendeant propoſitæ leges. Cogitaueram, dum hæc adoleſcens priuatis diſſertationibus agitarem, poſſe Iuliani ſententiam ingenioſe interpretari, vt non ſenſerit, legibus nos obligari, quod illas Populus receperit, tenetur enim recipere, ſed quia cum poſſet legitima conſuetudine antiquare, maluit acceptare; quaſi ita argumentetur. Si Populus poteſtatem antiquãdi habet per deſuetudinem, habet etiam poteſtatem nouum aliquod inſtituendi per conſuetudinem. Sed nunc parum eſſe in hac reſponſione ſoliditatis facile intelligo, atq; adeo reſpuendam.

3 Fundam. proſternitur ex ijs, quæ de poteſtate, & voluntate diximus pro. 2. ſententia.

28 Et quoad poteſtatem, iure conſtat, totam fuiſſe translatam lege Regia in Principem, nec ſibi quidquam ſubditos reſeruaſſe d. l. 1. ff. de conſt. Princ. d. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. Nat. &c. Quiq; Regiam legem ſibi ferri voluit, erat iure belli, & victoriæ Princeps; quo ſatis arguitur, nec aliquid ſibi reſeruaſſe Populum, nec omnino potuiſſe ſibi aliquid reſeruare. Præterquam quod

abſo-

abſoluta eſt Principi poteſtas coercendi pœnis c. de Liguribus 23. quæſt. 5. quæ procul dubio à Populo nullatenus pendet.

Hæc cum certiſſima ſint, auferuntur omnes coniecturæ, & veriſimilitudines, quibus præterea noſtræ adductæ maximè præponderant. Nam vetuſtiſſima Romanæ Reip. conſuetudo cum ſua mole conſepulta eſt.

29 Neq; etiam rectè ab vſu argumentamur; quod enim patiente Principe leges prope innumeræ abierint in deſuetudinem, non probat in acceptationem Populi fuiſſe suſpenſas, quippe valde hæc diſcrepant inter ſe; Cùm præterea videamus hodie, & ſemper, ſancitas fuiſſe pœnas in legum violatores, quas nomine Sanctionom pro-
30 prie appellari, docet Iuſt. in §. Sanctæ Inſtit. de Rer. diuiſ. eoſq; ſæpius luiſſe pœnas, qui contra legum præſcripta quidpiam attentauerint.

Liberalis autem illa effuſio Populi iuri conſona fuit, ſatiſq; iure probatur.

31 Quod autem dicitur, neglectam, aut reiectam legem communi bono refragari, diſtinctione indiget; neque enim culpa hæc legi adſcribenda eſt, quam iuſtam ſupponimus, omnibuſq; numeris abſolutam, ſed ſubditis, quorum, & malitia coercenda, alioquin omnibus indiſtinctè legibus modum ipſi ponerent; quod verius communi bono aduerſaretur.

32 Idem Reſpondetur ad id, quod ſubiungitur, vtilitatem legis ſubditorum acceptationi commenſureri; vbi enim lex per ſe vtilis eſt, ſi forte à ſubditis non recipiatur, eorundem facto omnino culpabili fit inutilis, ac proinde coercendi ſunt. Sic D. Tho. in eo, quod ſibi proponit, 1. 2. quæſt. 97. artic. 3. ad 2. ſcribitt inualeſcente legitima cõnſuetudine humanam legem fieri inutilem, quaſi vtilis ſit omnino ſe poſita conſuetueine; cui facile concedã, legem quaſi inutilẽ abijciendam eſſe, vbi communis cõtra dict. enituit, cęterũ peccaſſe eos, qui priores cõtradixerint

33 Præſcriptio vero omnino negatur, ſicut etiam quod ſubijcitur, neq; enim recuſationis, & deſuetudinis ratio eadem eſt, cum deſuetudo legitimã habeat contradictionem totius Populi, vel maioris partis principali lege cõm probatã, recuſatio vero omni iure, & ratione reprobetur.

34 In

34 In 2. capite voluntatis ſolidum nihil fateor enim nolle Principem ſua lege pauciores obſtringere, vbi plurimi aduerſantur, ſed hoc ad recuſationem non pertinet, quã improbamus, ſed magis ad legitimam deſuetudinem, quam approbamus. Quod verò de ratione communis boni ſubnectitur, animaduerſum eſt ſup. neq; enim debet à ſubditorum facto pendere, neq; hoc Princeps vult: ſed magis ab obiecto, & circumſtantibus. Hactenus de Ciuili conſtitutione.

*Poteſtas à Deo tradita Pontifici.* 1.
*Fidelium Cœtus an condat leges, quibus Pontific. obligetur.* 2.
*Pontificia poteſtas nullatenus ab Eccleſia pendet.* 3.
*Prælatorum vero poteſtas à Pontifice.* 4.
*Pontifex ſemper omni conſuetudine humanoq; iure ſuperior.* 5.
*Præſumitur in Pont. voluntas, vt ex lata lege nulla peccandi occaſio tribuatur.* 6.
*Non peccant ſubditi, ſi ratione reſpuant legem.* 7.
*Pontifex aberrare nequit in his, quæ vniuerſæ Eccleſiæ præſcripſerit.* 8.
*Lex inutilis ex ſe corruit.* 9.
*Præſumenda in Pont. voluntas, vt lex animarum ſaluti expediens inuiolabiliter ſeruetur.* 10.

IN 2. Art. Pont. legis tituban ſcriben. Multi non ad Cæſareas tantum verum etiam ad Pontificias conſtitutiones acceptationem Populi deſiderant. Nonnulli tantum ad Cæſareas, quia Cæſarea poteſtas magis pendet à Populo. Quidam contra ad Pontificias tantum ex præſumpta voluntate.

1 Diſputatio à duplici illo capite pendet, poteſtatis, & voluntatis. De poteſtate illud ex fide certum, Summo Pōt. traditam fuiſſe à Deo ad obligandos omnes, & ſingulos Chriſti fideles, vt leges ab eo latas recipiant, atq; cuſtodiant. In eo vno diſcrimen eſt, quod nonnulli hoc de ſingulis fidelibus per ſe ſumptis accipi volunt, non de cœtu, & congregatione omnium fidelium, exiſtimantes, fi-
2 delium cœtum poſſe condere leges, quibus ipſe etiam Pontifex obligetur, nedum poſſit à Pontifice conditas reſpuere. Quæ

Quæ ſententia erronea eſt , vti ratione conſtat , & authori-
tate . Nam ſoli Petro,& Apoſtolis fuit data legiſlatiua po-
teſtas immediate à Chriſto, & independenter ab Eccleſia
fidelium,quippe vni Petro dict. eſt. Io. 21. *Paſce oues meas*
& Matth. 16. *Tibi dabo claues* nulla adiecta conditione re-
ceptionis fidelium .

3 Item neq; abſoluta eſſet, nec valde efficax Pontificia fa-
cultas, ſi penderet vllatenus ab Eccleſia , tum quia maxi-
ma ex parte legislatiua poteſtas Chriſtiano Populo com-
peteret, nec ſacræ Conſtitutiones haberent vim, vt à ſolo
Pontifice, ſed vt ab eo cum Eccleſia, eſſetq; Populus con-
legislator cum Pontifice , quod abſurdiſsimum dictu eſt,
tum quia Romanus Pont. non poſſet condere leges , qui-
bus vel ſinguli obligarentur, repugnante cœtu Eccleſiæ ,
quod nec minus abſurdum .

4 De inferioribus Prælatis non adeo certa res eſt, quorum
poteſtas ab ipſo Pontifice communi adſenſu profluit,atq;
adeo ſub prædicta acceptationis conditione , & ſub alia
qualibet dari poſſe videtur , nec non etiam conſuetudine
minui . Quod in Pontifice ſecus , nulla enim conſuetudo
diuino iuri præualere poteſt , à quo ſuprema illa poteſtas
originem trahit , nec poteſt eandem à ſe Pontifex abdi-
5 care , at ſemper manet omni conſuetudine , humanoq;
iure ſuperior .

In ſecundo cap. ponitur præſumpta voluntas ; licet enim
Summus Pont. omnes , & ſingulos fideles quantumlibet
reluctantes , atq; inuitos obligare poſſit poteſtate à Deo
accepta , eius tamen voluntas adeo interpretanda eſt , vt
in acceptationem populi velit ſuſpendere obligationem
legis, quia hæc ſemper in eo præſumitur voluntas , vt ex
6 lata lege nulla peccandi occaſio tribuatur , quippe legiſla-
tiua facultas in ædificationem Prælatis Eccleſiæ datur ,
non in deſtructionem, monente Apoſtol. 2. ad Corint.13.
Præterquam quod recuſata lex fit omnino inutilis , con-
tra c. erit autem lex 4. diſt.

Sed tunc breuiori vtar dilemmate. Vel ſubditi peccant non
recipiendo legem, vel minus . Si peccant, tenentur reci-
pere, ne peccent. ſi minus , non tenentur parere Pontifi-
ci, quod valde impium .

Reſp. Beca. Sum. Theol. p. 2. tract. 3. cap. 6. quæſt. 8. non
pec-

peccare ſubditos, quando reſpuendæ legis rationabilem
7 cauſam habent; quod ſi nullam habeant, initio quidem peccare, ſed poſtmodum excuſari, vti plures in Germania, qui Tridentini Concilij leges, aut Bullæ cœnæ Domini non cuſtodiunt, quod illas vſu non receperint.
At ſi potuerunt ſubditi rationabili cauſa recuſare legem; ergo non fuit in Pontifice rationabilis cauſa ſtatuendæ eiuſ-
8 dem legis, quod abſurdum, neq; enim Pontifex aberrare poteſt in ijs rebus, quas vniuerſæ Eccleſiæ præſcribit. Bellar. lib. 4. de Pont. c. 5.
Reſp. idem Beca. fieri poſſe, vt leges, quæ generatim maxime conducere videntur, huic, vel illi *Prouinciæ* non expediant; plura enim circumſtare ſolent, quæ ſepius ignorat *Pontifex*.
Ergo (ſic enim facile carpitur) vbi *Pontificiæ* legi non abeſt vtilitas, ſeruanda omnino erit neq. poterit à ſubditis recuſari, & tunc demum in acceptationem ſubditorum ſuſpendetur ex coniecturata *Pontificis* voluntate, quando erit inutilis, quod non modo facile concesserim, verum crediderim quoq; inutilem legem per ſe corruere
9 poſſe, quaſi ceſſante fine, & ratione Conditoris.
Neq; vrget, quod monuit Apoſt. ſatis enim ædificat lex, quæ Chriſtiano populo conducit, neq; de eo curandum, quod ſubditorum recuſatione, & culpa fiat inutilis; immo hoc maxime præcauendum, vt dixi, & præſumenda ſemper in Pontifice voluntas, vt lex animarum ſaluti expediens
10 inuiolabiliter ſeruetur, qui etiam perſæpe violantibus pœnas decernit, vt alibi adnoto.


R*Ationis appellatione ius Naturale ſignificatum.* 1.
*Conſuetudo contumaces excuſat.* 2.
*Ius Municipale Imperiali legi non detrahit.* 3. 23.
*Subditus propria authoritate ſuperioris præceptum non infirmat.* 4.
*Minus eſt non recipere legem, quam receptum abolere.* 5.
*Lex conſuetudinem præexiſtentem amouet.* 6.
*Conſuetudo irrationabilis, aut non præſcripta nihil agit.* 7. 21.
*In conſuetudine legi contraria, an poſsibilis præſcriptio.* 8. 26.
*Clauſula*, non obſtante quacunq; conſuetudine, *quid operetur.* 9. 28.


*Lex*

*Lex poſſit ne abrogari quoad pœnam, & irritationem, manente diſpoſitione quoad culpam, & prohibitionem.* 10. 29.
*Deſuetudo an contraria conſuetudo ſit.* 11. 16.
*Conſuetudo legis æmula.* 12.
*Priuilegio comparatur.* 13.
*Præiudicium, & derogatio.* 14.
*Poteſtas quæ in Pop. inducendæ conſuetudinis, & vnde colligatur.* 15.
*Conſuetudo, & deſuetudo diſcrepant.* 16.
*Et per hæc abrogatio, & antiquatio.* 17. 19
*Lex ſeruituti comparata.* 18.
*Principis adſenſus antiquatione magis explicatur.* 20.
*Concil. l. 2. C. quæ ſit lon. conſ. cum l. de quibus ff. de ll.* 21.
*Expl. l. 3. §. diuus ff. de ſep. viol.* 23.
*Lex naſcituræ conſuetudini an deroget.* 24.
*Contrarietas inter legem, & conſuetudinem rationabilitati non officit.* 25.
*Præſcriptio conſuetudinis, & dominij differunt.* 27.

IN. 1. inſpect. quando Conſuetudo legi reſiſtit, tunc, quãdoq. lege videtur potentior, quandoq. etiam paris potẽtentiæ vi quoq. legis inſpecta. In duobus igitur quæſtio eſt; & quid conſuetudo valeat contra legem, & quid lex contra conſuetudinem.

In priori quidem quaſi in tres claſſes Interpretum Schola diuiditur.

Primi defendunt, moribus, & conſuetudini hanc vim minime ineſſe, vt legem valeat abrogare. Ita Hoſt. in c. 1. de Tre. & pa. Sibi tamen incõſtans, vti refert, & carpit Frãc. Suar. de ll. lib. 7. cap. 18. nu. 1. fundamenta, quibus nitantur, hæc ſunt.

In primis Conſtantini Imp. Solemne reſcriptum in l. 2. C. quæ ſit lon. conſ. h. u. *Conſuetudinis, vſuſq. longeeui non vilis authoritas eſt, verum non vſq. adeo ſui valitura momẽto, vt rationem poſſit vincere, aut legem.* Rationis appellatione ius Naturale ſignificatur. Habes itaq. nihil aduerſus Naturalia, aut Ciuilia iura cõſuetudinem poſſe; quod repetitum in c. conſuetudinis 11. diſt.

Confirm. l. de quibus ff. de ll. *De quibus cauſis ſcriptis legibus non vtimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus, & conſue-*

*tudine indutum eſt*. Quare tunc valet conſuetudo, vbi deficiunt ſcriptæ leges, nec aliter.

Nec longe eſt Alex. in c. cum cauſa de Re Iud. *licet vſus, & conſuetudinis non minima ſit authoritas, nunquam tamen veritati, aut legi præiudicat*.

2 Adhæretq. idem in c. ſane de temp. ordin. quo loci inſinuat, nihil plus conſuetudinem poſſe, quam, vt excuſet eos, qui non paruerunt.

3 Accedunt rationes. 1. quia ſtatutum Municipale Imperiali legi non derogat, neq. eam abrogat. l. 3. §. diuus. ff. de Sepul. viol. Idem igitur in conſuetudine ſtatuendum.

4 2. Quia Subditus propria authoritate Superioris præceptum auferre non poteſt. Arg. l. ille à quo §. tempeſtiuum ff. ad S. C. Trebell. quod ſecus, vbi conſuetudini aperitur aduerſus legem.

5 3. Minus eſt non recipere legem, quam receptam, vſuq. firmatam contraria conſuetudine abolere. At quod minus denegatur, ergo, & quod magis.

6 4. Lex conſuetudinem ſibi præexiſtentem amouet, vt infra, ergo, multo magis impedit naſcituram.

7 5. Conſuetudo irrationabilis nihil agit. c. fin. de Conſ. At cõſuetudo legi aduerſa improba ſemper, irrationabiliſq. eſt: quare .&c. Adſumptum ſuperiori quæſt. probatur, nam legis tranſgreſſionem continuo culpa conſequitur.

8 Confirm. Nam illud præterea conſuetudini requiritur, vt ſit legitimè præſcripta. d. c. fin. de Conſ. At in conſuetudine legi contraria impoſſibilis præſcriptiò videtur, quia tranſgreſſio legis malam fidem habet, reproboſq. actus omnino præſcriptioni legitimæ repugnantes, quæ bonam fidem vbiq. exigit, Itaq. & c.

9 6. Quando legi clauſula illa inſerta eſt. *Non obſtante quacunq. conſuetudine*. tunc conſuetudo legem nõ vitiat, alias .n. clauſula illa ſuperflueret. At, ſi conſuetudini abrogandæ legis vis aliqua ineſſet, profectò legem cõtinuo abrogaret, ex qualibet demum cauſa conſuetudini derogatum foret.

10 7. Si conſuetudo hanc vim haberet, tunc lata aliqua lege, quæ culpam puniret, poſſet ea lex conſuetudini abrogari quoad ſolam pœnam, manente legis diſpoſitione quoad culpam, quia non inconuenit, legem pro parte auferri.

auferri. Itaq. per co nſuetudinem licebit peccare impune, quod abſonum.

Poſtremo, ſi conſuetudini vim tribuas huiuſmodi, poterit lex quoad irritationem auferri, & manere quoad prohibitionem; quare, ſi lex in gradu aliquo conſanguinitatis irritauerit matrimonium, poterit conſuetudine irritatio auferri, manente gradus interdictione, quod dictu abſurdiſſimum.

Cum oppoſito ſtant pene innumeri, contraria conſuetudine legem abrogari, ac prorſus aboleri. Ita comm. Theol. omnes cum D. Tho. 1.2. q. 97. art.3. Summiſtæ ver. cõſuetudo; nec non Cæſarei, Põtificijq. omnes in l.2.C.quę ſit lon. conſ. in l.de quibus ff.de ll. in c.vlt.de conſuet.Vide Suar. cum alleg. de ll. lib. 7. c.18. nu.2.Salas cum alleg. de ll. q. 96. tract.19. diſp.19. Sect.3.

Prob. 1. auth. Iulia. in d.l. de quibus in fi. ibi. *Quare rectiſſime etiam illud receptum eſt, vt leges non ſolo ſuffragio Legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem*

11 *abrogetur*. At deſuetudo (inquiunt) nihil aliud eſt,quam contraria conſuetudo. Præterea deſuetudo comparatur ſuffragio, addita quoq. aduerſatiua *ſed* quæ rei præcedentis qualitates omnes repetit. Vt igitur ſuffragio penitus abrogatur lex, ita & deſuetudine, quæ a ſuffragio diſtare non videtur quo ad hoc.

12 Confirm. §. ex non ſcripto Inſt. de Iu. Nat. in eo, quod ait, diuturnos mores conſenſu vtentium comprobatos legem imitari. Nam, ſi lege tollitur lex, ergo & conſuetudine, quæ legem imitatur, lex tollitur.

Hic plurima ex Cæſareo corpore deprompta iura, quæ vix probant quandoq. aliquid. videl. l.venditor. §. ſi conſtat. ff.comm. præd.l. item eorum ff. quod cuiuſq. Vniu. l.1. in fi.ff. de aqua plu. arcen. l.hoc Iure §.ductus aquæ ff.de aqua quot. & æſt. l.ſemper §. legem quoq. iun.Gl.ff. de Iu. immun.l.3. §. diuus, cum Gl. ver. ſepeliri ff.de ſepul. viol. l.1. C.de ædif. priu.

Nec minus eadem ſententia Põtificio Iure ſuaderi videtur, vt c.nouit de Iudic. ibi.*Non .n. intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum ſpectat iudicium, niſi forte Iuri communi per ſpeciale priuilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid*

13 *quid ſit detractum*. Vides, conſuetudinem priuilegio cõparari,

parari, quo profectò Ius commune prorſus abrogatur.

Sic legitimæ præſcripta, & rationabilis conſuetudo poſitiuo iuri præiudicium generat, non autem derogat Iuri Naturali. c.fin. de Conſuet. At nomina hæc præiudicij,
14 & derogationis illud conſignificant, quod volumus, nec aliter accipitur, quod habet Innoc. III. in c.cum dilectus de Conſuet. ibi. *Si talis fuerit conſuetudo probata, quæ iuri communi præiudicet.* Sed expreſsè Grat. in c.in iſtis §.leges 4. diſt. *Sicut.* n. (ait) *moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt*, &c.

Adducitur etiā ratio, de qua Iulia. in d. l.de quibus ibi *Nam cum ipſæ leges*. &c. Sed illa valuit, quando ferendæ legis poteſtas erat penes Populum, cui congruit, quod habet D.Tho. 1.2. q.97. art.3. ad.3. Igitur a poteſtate, & voluntate deſumenda ratio eſt, vt ſuperiori quæſtione.

Poteſtas autem in populo, libero tranſit quaſi indubitata inter eos, qui in hac parte Imperantem Populum ab Imperato ſecernere nuſquam didicerunt. At in Populo ſubdito ex eo arguunt poteſtatem, quod lex a Principe ſub ea quaſi conditione lata fuerit. *Si voluerit illam Populus retinere.* Quæ conditio commentitia eſt, iuriq. valde diſſona.

Itaq. Suar. d.c.18. nu.3. hanc poteſtatem plane explicat per
15 coniunctionem plebis cum ſuo Principe, & Legislatore. Namq. in plebe eſt poteſtas facti potius, quam Iuris ad abijciendam legem; in Principe autem eſt poteſtas conniuendi, conſentiendiq. Populo, & plebi, & ex vtraq. poteſtate quaſi completur auferendæ legis actus, nam demum qui legem tulit, idē quoq. abſtuliſſe videtur, quod poteſt. Ita in Populo inducente conſuetudinem non exigitur neceſſariò ponendæ, tollēdæue legis actiua poteſtas, ſed illud ſatis, vt capax legis paſſiue ſit, quod latius infra explicabitur; actus.n. repugnandi per conſuetudinē non eſt Iuriſdictionis, aut publicæ poteſtatis, ſed eorū potius, qui parent, neq. ex parte ſubditorum conſuetudo legem quaſi actiue tollit, ſed ſuo modo exigit, obtinetq. a Superiore habente poteſtatem, vt eam auferat, quod perite Suar. d.c. 18. nū.4.

Voluntas ab vtraq. parte certa eſt; Populi quidem, namq. eius conſenſu inducitur conſuetudo. Principis etiam, nā

is generali lege approbauit conſuetudinem,vel ſciens cõſentit, aut diſſimulat, vt alibi quoq. diximus.

Inter hæc extrema medium quoddam reperit Franc. Conna. lib.1. c.10. nu.9.& 10.quod ſi forte verum,nobis maximè opportunum eſt.

16 Deſuetudinem nihil eſſe aliud, quam contrariam cõſuetudinem antecedenti conſuetudini, aut legi ,atq. ita non conſuetudinem modo, verum etiam deſuetudinem contrarijs rebus, factiſq. induci, communiter creditum eſt. Quod non modo Conna. non admittit, verum nugis quã ſimillimum eſſe iudicat. ſtatuit autem, proprium cõſuetudinis locum in ijs eſſe, quæ legibus comprehenſa non ſint,ſeu legem veterem interpretentur, ſeu nouam inducant; in illis vero, quæ legibus fuerint comprehenſa, nõ eſſe conſuetudini locum, ſed tantum deſuetudini,quæ nõ rebus, & factis, ſed ſola patientia , & negligentia inducitur. Deniq. non dari conſuetudinem aduerſus leges, ſed ſolam deſuetudinem , at conſuetudinem præter legẽ eſſe propriè, & verè quicquid demum ſcripſerit Cuiac. ad l. omnes populi ff. de Iuſt. & Iu. col.2.

17 Probat, nam deſuetum illud eſſe dicitur, quod deſijt eſſe in vſu. Lex autem vel contrario ſuffragio, vel tacite ſine tabella aufertur, & priori modo dicitur abrogari, poſteriori magis antiquari. Antiquari autem dupliciter, tum, quando nimia vetuſtate conſeneſcit ex ſe,tum deniq.quãdo recens, nataq. nuper ſtatim non ſeruatur,aut certe nõ ad longum tempus.

Apparet igitur, in deſuetudine facto populi opus non eſſe, at illud ſufficere, ſi lex non ſeruetur, & quidem impune, nam tunc aduerſus eam ſibi quiſq. libertatem quodammodo præſcripſit, & ſicut non vſu amittitur ſeruitus, ita legis vis, atq. poteſtas longa negligentia euaneſcit.

Quod ſi forte in hac ipſa deſuetudine facta Ciuium aliqua interueniãt, exiſtimat adhuc, nihil prorſus factis Ciuium tribuendum eſſe; neq. n. violandæ legis fuit animus,ſed magis negligendæ; quod exemplis ſuadet, authoritate explicat, iuriſq. diſpoſitione confirmat. Lex eſt, *ne muri tranſiliantur*; nihilominus paſſim Ciues tranſiliunt, & libere; lex quidem tacito omnium conſenſu antiquatur, non, quia fecerint contra legem, ſed quia neglecta lex

habita. At negligentia probari non potuit, niſi factum id fuerit, quod prohibitum lege; facta itaque deſeruiunt probandæ negligentiæ, cœterum lex non facto Ciuium
18 ſed ſola ſui ipſius ignauia obſoleſcit, vt ſeruituti cõtingit, quæ non vtendo amittitur. Quod patet; nam quod muros tranſiliant, ſuo more, & priſtina licentia id faciunt, non vt vim legi afferant, quam idcirco repudiaſſe potius, quam violaſſe dicuntur.

Quo inſertur, antiquationem legum iſtam, ſeu deſuetudinem non tam a Populo proficiſci, quam a negligentia, aut patientia eorum, qui leges tulerunt, vel a negligentia Magiſtratuum, quibus legum cuſtodia commiſſa eſt, potuerunt .n. Populum compellere ad ſeruandas leges, nec tamen effecerunt. Sic M. Tull. in off. antiquationem legis tribuit latori. *Philippus* (ait) *legem agrariam tulit, quã tamen antiquari paſſus eſt*. Neq. aliud voluit Conſtant in d.l. 2. C. quæ ſit lon. conſuet.& cautum videtur in d.l.de quibus. *De quibus cauſis ſcriptis legibus non vtimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus, & conſuetudine inductum eſt*, quaſi aduerſus leges ſcriptas nulla valeat conſuetudo; cui reſpondet Alex. in d.c. ſane, cum alijs ſup. add.

Quibus addo Trib. initio Inſt. de Teſtam. quo loci relatis tribus generibus teſtamentorum, Calatis Comitijs, Procincto, & per æs & libram, ſubijcit,duo illa priora ex veteribus temporibus in deſuetudinẽ abijſſe, quod eo pertinet, vt cuiuſu temporis, vtendiq. negligentia antiquata ſint. De tertio demum ait,paulatim & illud in vſu eſſe deſijſſe, hoc eſt, paulatim ſperni cœpiſſe, vt Theoph.exponit.

Adhæret, quod Imp. in l.vni. in prin. C. de Caduc. toll. *Et quemadmodum in multis capitulis lex Papia ab anterioribus Principibus emendata fuit, & per deſuetudinem abolita*. Et in §. fin. Auth. quib. mod. nat. eff.iui. ibi.*Quoniam & non vtendo perempta eſt*. Cuncta vero ipſa quoq. nomina conſuetudinis, deſuetudiniſq. ſibi vendicant ſatis.

Si Connani ſententiam ſequare, facile tolles, quæ contraria ſunt. Namq. Iulia. authoritas in d.l. de quibus,huic ſententiæ magis accedit, quam recedat ab eadem; Aduerſatiua autem illa non vrget, neq. n. antiquationis effectus quoad obſeruationem legis longe ab eo diſtat, quem ab-

rogatio

19 rogatio inducit, licet antiquatio à vera abrogatione lõge recedat inſpecta rei natura.

Cœtera omnia ex Pontificio, Cæſareo ve Iure deprompta, facile ad antiquationem reuocãtur, cum hæc non minus, quam abrogatio ſuo modo legi detrahere, præiudicare, ac derogare dicatur. Et quod deſuetudine antiquatur, abrogari etiam dicitur. d. l. de quibus. d. cap. in iſtis. §. leges.

20 Adducta etiam ratio magis antiquationi fauet, etenim facilius explicabitur Principis voluntas, ac poteſtas per antiquationem pendentem ab eiuſdem Principis patientia, quam per abrogationem, quæ factis, ac renutu Populi inducatur, magiſq. defertur ſupremæ Principis poteſtati, atq. decori, ſi per ipſum magis, quam per ſubditos lex ſileat.

Quod ſi communem ſententiam amplectare, ne quid habeas indiſcuſſum, ad contraria argumenta, quæ maximè vrgent aduerſus vtramq. ſententiam, ſigillatim reſponde.

Et quidem Conſtant. reſcriptum difficultatem maximam 21 habet, & pugnare videtur cum ſententia Iulia. in d. l. de quibus. Itaq. vtrobiq. Gloſator ſe quaſi exanimat, prout etiam in d.c. conſuetudinis. Conciliationes recenſuit prope innumeras Io. de Sal. d. diſp. 19. ſect. 4. §. 3. quibus etiam immiſcuit ſe Rimin. c. 1. h. t. nu. 118. Mihi vero maxime placuit expoſitio Vaſq. 1. 2. q. 177. c. 17. qui *ſuo momento non vincere legem* explicat; *non ſua authoritate præcipua vincere legem, ſed Principis*. Quapropter, ſi quærimus, an poſſit conſuetudo Principis authoritate, & conſenſu legem vincere, rectè affirmat Iulia. in d. l. de quibus. Quod ſi quæramus, an poſſit hoc facere ſui momēto, hoc eſt, ſua præcipue vi, atq. authoritate, & ſine vllo Principis auxilio, rectè negat Conſtant. in d. l. 2. Ita quoq. Suar. explicat d. c. 18. nu. 22.

Accedat, quod alij dicunt, Principis authoritate duo ſimul effici, vid. vt abrogetur lex; item vt tranſeat vſus in conſuetudinem habentem vim legis; quæ aperitur, nõ prius conſuetudinem tranſire in legem, quam lex præcedens abrogetur, vtrunq. n. fit ſimul authoritate Principis. Quando igitur conſuetudini denegatur poſſe vincere legem,

gem, intelligendum eſt, niſi lex eiuſdem Principis authoritate fuerit abrogata.

Nec diſplicet, quod aliter Iac. Cuiac. ſenſit in d.l. de quibus. Obliterat (inquit) ſeu abrogat conſuetudo legem, non etiam vincit, vid. in ipſo conflictu legis, & conſuetudinis, cum certatur, vtra obtineat. d.l. 2. Quod vero de hac ipſa re ſcripſit, idem Author lib. 2. feud. t. 1. c. 1. Si verum eſt, diuinatorium eſt.

Ad arg. ex Iulia. in d.l. de quibus, reſponſio patet ex fine eiuſdem legis, ſi communem intellectum ſequar e, vt par eſt.

82 Authoritas vero Alex. in d.c. cum cauſa non recedit ab alleg. l. 2. C. quæ ſit long. conſ. Sed illa quoq. conſuetudo irrationabilis erat, quæ legi idcirco præiudicare non potuerat, vt apparet ibi, *veritati, &c.* Sic Gl. vlt. & Panor. nu. 4. Quod etiam idem habet in d.c. ſane, facile tollitur, illa .n. conſuetudo iniqua erat, & (quod ait) inſtitutioni Eccleſiaſticæ inimica, quare aliud nequit agere, quam, vt contumaces excuſet.

83 Ad 1. Rationem, ſimulq. ad tex. in d. §. diuus (de quo in ſeq. art. nonnihil habui) reſpondent quidam, ibi ſtatutum Municipale fuiſſe conditum ante legem generalem. Alij contra, quod & veriſimilius eſt, & literæ magis accommodatum. Suarez ibid. nu. 21. eo §. tantum probari exiſtimat, inferiores poteſtates non poſſe condere ſtatuta, ſaltem ordinario iure, ſed ſpeciali conceſſione opus eſſe; neq. idcirco potuiſſe eo loci Imperialibus reſcriptis Municipali lege detrahi. At illud quoq. intelliges, ambiguam eſſe Vlpia. deciſionem; quam pro ſuo quiſq. capite explicare ſolet, neq. ideo certi aliquid, in ea conſtitui poſſe.

Ad 2. R. cõſuetudini ſemper accedere Principis adſenſum, quod probatum ſup.

Ad 3. R. poſſe recuſari legem, ſed communi diſſenſu, quod paulo ante demonſtratum. Omitto differentiæ rationes, quas tibi præhabita quæſtio abunde ſuppeditat.

84 Ad 4. R. legem forte naſcituræ conſuetudini initio derogare, ſi ita aperte ſtatuat, tunc .n. conſuetudo ſequens nõ poteſt habere ad ſenſum Legiſlatoris, vt requiritur, cum ei Legiſlator ſua lege detraxerit. Cœterum, an lex præ-

cedens inducendam conſuetudinem interdicere, ac præpedire valeat, quæſtio eſt paulo inferius diſcutienda.

25 Ad. 5. R. negando quod aſſumitur, nam ſimul lex, quæque ei obſtat, conſuetudo diuerſis rationibus poſſunt eſſe rationabiles, vti lex abrogans, & abrogata diuerſis reſpectibus rationabiles poſsũt eſſe, licet altera alteri repugnet; fit etiam aliquando, vt duæ opiniones contrariæ ſint æque probabiles ex varijs rationibus, quibus nituntur. Quod ſi earum altera probabilior ſit, non ſequitur tamen, improbabilem alteram eſſe, quo exemplo perite vtitur Beca. Sum. Theol. p. 2. tract. 3. cap. 8. q. 6. Et ratio à priori eſt, quia lex non eſt rationabilis, quaſi neceſſaria, ſed quaſi conueniens ob aliquos reſpectus, quibus minimè obſtantibus, conſuetudo etiam, quæ legem aufert, poteſt ſub alijs reſpectibus rationem habere, qua nitatur. Suar. ibid. in fi.

Confirm. duo habet. 1. non poſſe per actus reprobos induci præſcriptionem. 2. non, niſi cum bona fide.

26 Ad. 1. omittendo illud, in præſcribendo quandoq. ignorantiam, quandoq. etiam impotentiam excuſare à culpa, Reſp. etiã per improbos actus legitime, & canonice aduerſus legem ex cõceſſione Iuris generali præſcribi, quod ratione duplici explicat ibid. Suar. nu. 24. 1. Quia non concurrunt vt cauſa, ſed vt indicia voluntatis in Principe, aut lege exiſtentis, quo munere fungi poſſunt, licet omnino reprobi. 2. quia non eſt improbum illud, quod tali conſuetudine reſultat, etiam ſi actus reprobi ſint, qui ideo ſublata lege omnino exercentur, & huc ſpectat conſenſus Principis, ſeu Legislatoris, dum legem abrogari ſinit, vt, quod illicite fieri cœperat, impune poſtmodum, ac Iure ſequi valeamus.

27 Ad. 2. R. præſcriptionem conſuetudinis non eſſe omnino ſimilem ei, qua rerum dominia, atq. iura acquiruntur; hæc, n. priuatorum ſunt, qui irreparabiliter rebus ſuis, atq. iuribus expoliantur, vnde bonam fidem exigit hæc præſcriptio, ne paſſim improbi homines bonorum hominum facultatibus inhiantes cum eorum iactura locupletentur. At conſuetudinaria præſcriptio neminẽ iure ſuo priuat, ſed obligationem legis amouet, quod maxime expedit, quando frequentius non ſeruatur.

Aliud diſcrimen poſuit ibid. Beca. quod priuata alienæ rei præſcriptio non pendet ex conſenſu illius, aduerſus quem præſcribitur, ſed ex bona fide præſcribentis, cum ex oppoſito præſcriptio conſuetudinis pendeat a cõſenſu Principis, contra quem præſcribitur, non autem a bona fide præſcribentium, quare vbi adeſt eiuſdem Principis adſenſus, gratis quæritur bona fides.

18 Ad 6. R. maxime controuerſum eſſe, an ea clauſula impediat ortum conſuetudinis contra legem, qua ſe poſita diſputamus; vnde quod ei clauſulæ argumẽtatio tribuit & nos tribuere poſſumus. Sed, quod ſequitur, negare omnino non prohibemur, vbi. n. Princeps per illam clauſulam conſuetudini aperte derogat, iam conſuetudo ſequens non poteſt habere adſenſum Principis, quem diximus omnino exigi.

19 Ad 7. R. concedendo, poſſe legem conſuetudine abrogari, neq; hoc eſſe inconueniens, tum quia neceſſaria cõnexio nulla eſt pœnæ, & culpæ, tum quia Princeps poteſt eas ſegregare diſpenſando, & abrogando, ſicut initio lex abſq; tali pœna ferri potuerat.

Adducuntur iura. ſ. c. cum multæ 15. q. 8. ext. ambitioſæ de reb. Eccl. non alien. quorum pœnas conſuetudine abrogatas volunt, manentibus tamẽ diſpoſitionibus ad culpam. Neq. inde ſequitur, peccari impune poſſe; non. n. deſunt pœnæ delictorum communes, vel extra ordinem arbitrio Iudicis conſtituendæ. An autem poſſit lex quo ad ſolam pœnam conſuetudine aboleri, vide Salas. d. q. 3. & latius ſect. 9.

Nec minus controuerſum eſt, quod poſtremo adductum, late idem Salas. ſect. 10. Veriſſima tamen deciſio eſt; quæ affirmat, poſſe legem quoad irritationem abrogari, licet maneat quoad prohibitionem; tum quia irritatio prohibitioni neceſſario nõ adnectitur, & poteſt ſeparari a Principe, tum quia conſuetudo iuriſdictionem dare poteſt, & multò magis actum inualidum confirmare.

Nec dicant, acta omnia prohibente lege ſemper eſſe inualida, ac proinde nec legi præualere poſſe, quantũlibet multiplicentur; quando. n. multiplicatis actibus conſuetudo inducitur, rationiq. conſona eſt, atq. præſcripta. d. c. vlt. de conſuet. tunc ex conſenſu Principis purgatur omnis

macula,

macula, validumq. omne illud fit, quod erat ante inualidum, vt dixi. Vide Salas. d. ſect. 10. vbi recte in materia Matrimonij, & cum eo Sách. de Matrim. lib. 7. diſp. 4. nu. 11. & ſeq.

*Qvid aduerſus conſuetudinem valeat lex.* 1. *& ſeq.*
*Conſuetudo generalis l. abrogatur, non ſingularis.* 2
*Pontifex ignorare præſumitur ſingulares conſuetudines, & ſtatuta.* 3
*Conſuetudo ſingularis imperiali ſtatuto abrogatur, ſi fuerit de ea expreſſum.* 4
*Princeps, qui ſua lege conſuetudini derogat, ſemper ei reſiſtit.* 5
*Clauſulæ*, non obſtante quacunq. conſuetudine, *quæ vires.* 5. 9
*Conſuetudo Principi probata verborum vim habet.* 6
*Lex conſuetudinem non probibet, niſi quandiu Principi placuerit.* 7
*Duplex modus, quo conſuetudo legem abrogat.* 8
*Eo ipſo, quo lex conditur, contraria conſuetudo prohibetur.* 10
*Conſuetudo, quam lex vti irrationabilem reſpuit, an legem poſſit auferre.* 11
*Rationabilis conſuetudo quæ.* 12

1 Qvid autem aduerſus conſuetudinẽ polleat lex, quod ſecundo propoſitum eſt; quia cõſuetudo legem præcedere poteſt, aut ſequi, idcirco fit quæſtio duplex.

Et profecto antecedentem conſuetudinem poſteriori lege auferri poſſe, nemo adhuc dubitaſſe videtur, affirmatque Bar. in l. de quibus ff. de ll. nu. 5. cum cœteris Scribẽ.

2 At vero Abb. Panor. d. c. fin. de conſt. nu. 24. referens Bar. alijq. Pontificij in d. c. 1. de Conſt. in 6. & Summis. quidam, veluti Azor. to. 1. lib. 5. c. 18. q. 3. & 4. volunt, præcedentem conſuetudinem, ſi generalis ſit, ſequenti lege aboleri; quod ſi alicuius loci ſingularis exiſtat, non, niſi facta eiuſdem loci ſpeciali mentione abrogatam videri, quod ipſum apertè decernitur in d. c. 1. de conſtit. in 6.

3 Quod tamen ex eo non fit, quia deſit legi authoritas, aut poteſtas abrogandæ conſuetudinis, ſed quia Rom. Pont. ſicut

cui & alius quilibet ſpeciales locorum conſuetudines, & ſtatuta probabiliter ignoraſſe creditur. d. c. 1. & hoc eſt, quod vulgo dicitur. *Conſuetudo ſilere facit Principum reſcripta*. In hãc ré etiam trahi enã conſueuit locus ſup. adductus. l. 3. §. Diuus ff. de Sepul. viol. quo loci ab Hadr.
4 Imp. decernitur pœna in eos, qui ſepeliunt in Vrbe cadauera; cumq. dubitatum fuiſſet, an reſcripto illo pœnali ſpeciales locorum, conſuetudines abrogentur, reſp. Vlpia. Imperialia ſtatuta vbicunq. vim ſuã obtinere, quod rectè intelligi volunt, ſi de eiſdem locis mentio aliqua ſpecialis habita fuerit; atq. hoc inſinuat Gloſat. d. c. 1. ver. derogare, exploſaq. Placent. ſententia monet Salas. de 1l. q. 97. tract. 14. diſp. 19. ſect. 13.
5 At, vbi conſuetudo ſequitur, legiq. apponitur Clauſula illa derogatoria *Non obſtante quacunq. conſuetudine*, difficultas eſt. Illud tamen frequentius receptum, tunc non poſſe legem conſuetudine aboleri, nam lex Principis loquentis inſtar eſt, quocirca vbi Princeps conſuetudini derogat ſua lege, ſemper ei reſiſtit, quare nil conſuetudo valet aduerſus legem, vt quæ non niſi Principis cõſenſu legem abrogat.

Confirm. nam Clauſula illa nihil ageret, niſi cõſuetudinem impediret. Quod ſi dicas, illud ſaltem agere, ne contraria conſuetudo introducatur, aut permittatur, adhuc inutilis videtur, nam qui ſuccedit imperio Princeps non poteſt ea clauſula prohiberi; quin conſuetudini, ſi velit, cõſentiat. & ſubditi ſemper initio prohibentur nouam conſuetudinem inducere, ſit, aut deſit Clauſula illa, nam, quod ſup. diximus, ſemper conſuetudo à contumacia incipit, & peccato.
6 Medina tamen oppoſitum ſenſit 1. 2. q. 97. art. 3. ratione nitens, & Iure: Ratione; nam verbis conſtituta lex poteſt à contrarijs verbis abrogari. At conſuetudo probata Principi verborum habet vim, quare, & c.
Iure ex c. ſi Epiſcopus de Pænit. & remiſſ. in 6. quo loci ſtatutum fuerat, nulla conſuetudine induci poſſe, vt ſibi quilibet abſq. Superiorum licentia eligeret Confeſſarium, & nihilominus paſſim ex contraria conſuetudine ſibi Sacerdotes eligebant Confeſſarios, donec fuit reſtituta Pontificis conſtitutio per Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 15.

Confir.

7 Confir. Beca. Sum. Theol.2. p.tract. 3.c.8.q.7. quo communis ratio tollitur, nam licet lex prohibeat conſuetudinem, non prohibet tamen, niſi quandiu Principi placuerit; At vbi legitimè introducta conſuetudo eſt, præſumitur Princeps omnino conſentire, vt dictum eſt ſæpius.

8 Reſpuit hæc Salas d. diſput. 19.ſect. 7.ſubiũgitq. ex ignorantia diſtinctionis cuiuſdam, modiq. duplicis fluxiſſe, quo conſuetudo legem abrogat. Aut .n. abrogare vult per modum præſcriptionis ex authoritate, & conſenſu præteriti Principis, & nihil agit. Aut per modum occaſionis, quam Princeps, qui modo præeſt, ſciens,& vidés, indicat aliquo modo, ſe conſentire in conſuetudinem; & tunc poteſt conſuetudo abrogare legem vna cum appoſita illa clauſula derogatoria.

Quæ profectò diſtinctio modum attingit; At ſi referatur ad authoritatem Bonif. in d.cap. ſi Epiſcopus, & alia, ſi quæ ſunt, conſimilia loca, diuinationis habet aliquid, magni tamen facienda eſt.

9 Quidam longam conſuetudinem exigunt, alij immemorabilem, vt poſſit cum prædicta clauſula auferre legem; alij deniq. nouam cauſam requirunt, quam Legiſlator non videatur cogitaſſe, vt ex hac noua cauſa poſſit legi omnino derogari per conſuetudinem, licet ea Clauſula adijciatur.

Equidem, ſi defendero, quod ſentiunt comm.ſ. exiſtente illa Clauſula non poſſe legem conſuetudine aboleri, euincam magis, quod præcipuè intendo, vt maiorem vim legi ineſſe, quam Conſuetudini probem apertius. Verum iampridem veritati obſtrictus, proferã, quod ſentio magis,clauſulam illam derogatoriam adijci ad cautelam, ne ſ. vſus contrarius liberè permittatur, cœterum ſuperflue re. Aut .n. inductam conſuetudinem præſupponimus,& certum eſt, legem cum ſua Clauſula fuiſſe ablatam ex cõ

10 ſenſu Principis, qui vltra non reſiſtit. Aut inducendam, & conſtat, eo ipſo, quo lex conditur, prohiberi ſemper contrariam conſuetudinem, & Iuſtitiæ miniſtros non niſi ad euitanda grauiora incommoda poſſe conniuere, ſicut ad euitanda peiora permittuntur Lupanaria. Neque igitur video, quid amplius agat Clauſula illa, quam, vt

Mini-

Miniſtros excitet, vt Conſuetudini pro viribus obſiſtant, exterreatq. ſubditos, vt eam inducere non audeant facile. Quod ſi demum induxerint, exiſtimo cum omnibus ſuis Clauſulis abrogari legem.

Certiora hæc, ſi cum Conna. ſentias, legem non abrogari contraria cõſuetudine, ſed antiquari deſuetudine, & quaſi ſilentio, nam tunc profectò Clauſula illa Miniſtros docet, ſubditoſq. monet, atq. exterrefacit, neq. proficit in alio. Cum. n. deſuetudo pendeat ex patientia Principis, vt dictum eſt, non tam lex, quam Clauſula illa ex eadem patientia ſtatim antiquatur, cumq. poſsit Princeps eandẽ legem ſempee reſtituere, compellendo ſubditos, vt eam ſeruent (quippe ablata non eſt, ſed ſilet) clauſula illa ſuperuacanea eſt in cœteris omnibus.

11 At ſecus exiſtimant, quando lex conſuetudinem quaſi irrationabilem reſpuit, vt c.fin. de conſ. Cum .n. conſuetudo vim legis non habeat, niſi rationi conſona, cumq. pro lege ſit continuo præſumendum, conſequitur, reprobata conſuetudine legem auferri non poſſe.

Alij referre putant (quod frequentius receptum) cauſa ne aliqua noua ſuperueniat, qua conſuetudo immutatis circumſtantijs rationabilis fiat. Sic Procurator generalis Manumiſsionem, quam ſpecialiter iuſsit dominus, interpellat ex noua cauſa apud Iulia. in l. ſi hominem ff. Manda. quę diſtinctio probabilis eſt, namq. ex ſuperueniẽte cauſa ceſſat pro lege præſumptio, conſuetudiniſq. macula depurgatur.

12 Tunc autem rationabilis conſuetudo habetur, quãdo lex condi poteſt de eo, de quo conſuetudo eſt, quippe eadem honeſtate vtraq. induitur. Quapropter attentarim quoq. intrepide, abſq. noua cauſa poſſe legi per conſuetudinem derogari, quando eatenus conſuetudo irrationabilis eſt, quatenus iudicatur a lege talis, poſsit tamẽ fieri de eo lex, de quo conſuetudo ſit.

Hic legis prærogatiuã conſidera. Quia lex ſemper aufert cõſuetudinem, vel prius ortam, vel (ſi communem ſententiam amplectare) poſt modum orituram ex Clauſula derogatoria, *non obſtante, &c.* At conſuetudo neq. præcedẽtem legem abrogare poteſt, ſi Connanum audias, neque procul dubio ſubſequentem.

*Vbi*

*Vbi concurrunt ſimile conſuetudinis, & ſimile legis quale amplectendum.* 1
*Ius, & ſtatutum conſuetudine roboratur.* 2
*Lex facilius abrogatur, quam conſuetudo.* 3
*Conſenſus tacitus infirmior expreſſo.* 4
*Ius ſcriptum momento inducitur.* 5

IN vltima inſpectione, quando Conſuetudo nouum aliquod inducit præter legem, duplici modo quęſtio diſputanda eſt; Vt .1. conſideremus, an generaliter maior aliqua potentia conſuetudini adſcribenda ſit. 2. vt ſingulares caſus, atq; exempla diligentius intueamur.

Quoad primũ; maiorem vim in conſuetudine arguunt imbecilliores quædam rationes.

1 .1. Quoniam vbi concurrunt ſimile conſuetudinis, & ſimile legis, ex ſimilitudine conſuetudinis iudicandum eſt. l. de quibus ff. de ll. *De quibus cauſis ſcriptis legibus non vtimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus, & conſuetudine inductum eſt, & ſi qua in re hoc deficeret, tunc quod proximum, & conſequens ei eſt.*

Verum ambigua redditur hæc deciſio ex l. non poſſunt ff. eod. de ll. *Non poſſunt omnes articuli ſigillatim legibus, aut S. C. comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui Iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atq. ita ius dicere debet.* Iaſ. d. l. de quibus nu. 23. primum exiſtimat, ſequendum eſſe, quod magis ſimile; deinde quod magis rationi congruit, vel æquitati; at in pari cauſa in re conſuetudinaria, vt in feudis, ſimile cõſuetudinis, in materia autem iuris ſcripti ſimile legis ampleti oportere. Erudite Iac. Cuiac. in d. l. de quibus exponit *ei*, hoc eſt, *rei de qua agitur* ex Græco ver. in Baſil. quæ explicatio vtrumq. ſimile includit.

2 .2. Quia ius, & ſtatutum conſuetudine roboratur. &c. Verum hæc propoſitio ius, ac ſtatutum, quaſi infirmum, aut inualidum præſupponit, cui conſuetudo quaſi miniſtret.

3 .3. Quia conſuetudo non niſi pluribus actibus contrarijs tollitur. l. nemo alieno §. temporaria cum Gl. ff. de Reg. Iur. At lex vnico actu contrario abrogatur. c. cum acceſſiſſent in ti. cum Fely. nu. 32. h. t.

Con-

Contraria ſententia, quæ verior, haud multa ſolidiora habet fundamenta.

1. Quia conſenſus tacitus eſt infirmior expreſſo. Gl. in Clem. ſæpe. ver. partibus de verb. ſig. Panor. in c. Clerici nu. 4. de Iudic.

2. Quia potentius videtur ius ſcriptum, quod non ſpatio temporis, vt conſuetudo, ſed ſtatim, & momento inducitur. arg. l. ſi fuerit ff. de reb. dub.

Hæc, & leuiora alia.

*Neque laici, neq. Clerici aduerſus Pontificium ius aut Principum leges ſtatuere poſſunt, ſed conſuetudinem inducere non prohibentur.* 1

*Differentiæ legis, & conſuetudinis; & cur ſtatuere ſubditis prohibitum, conſuetudo autem permiſſa.* 2. & 3

*Quomodo laici aduerſus Eccleſiaſticam legem conſuetudinem introducant.* 3

*Ius proprium quid, in l. omnes populi ff. de Iuſt. & Iu.* 4

*Iura omnia exigunt publicam poteſtatem condendæ legis.* 5

*Iuriſdictio conſuetudine acquiritur, non lege.* 6

*Non valet ſtatutum aliquod, niſi confirmatum à Principe.* 7

*Conſuetudo vt plurimum non bene comparatur legi aut ſtatuto.* 8

*Conſuetudo cur valeat, vt nouus Canonicus in vtilitatem Eccleſiæ, aut Sacrarij eroget aliquid, non autem ſtatutum, & an hoc verum ſit.* 9

*Tempus in crimine Simoniaco.* 10

*Valeat ne Conſuetudo, aut ſtatutum, vt priuatæ ſcripturæ, libri, cæteraq. priuata documenta plene probent.* 11

*Conſuetudo Laicorum fauorabilis Eccleſiæ ſuſtinetur, non ſtatutum.* 12

*Cuilibet communitati duplex capacitas.* 13

*Perfecta communitas legis capax, non imperfecta.* 14

*Laicorum communitas ſui natura capax legiſlatiuæ poteſtatis in materia Religionis.* 15

*Mercatorum Collegia quomodo leges condant, aut conſuetudines inducant.* 16

*Fœminæ non poſſunt condere leges, conſuetudinem tamen inducunt, & cur.* 17

*Conſuetudo priuatæ familiæ legem inducit, nec tamen priuata*

*priuata familia poteſt condere leges, & iur.* 18.
*Priuata familia eſt imperfecta communitas.* 19.

MAgis eſt, vt ad ſingulares caſus deſcendamus, in quibus, & labor augetur & vtilitas.

Primum arg. quo non ſcripti Iuris maior potentia ſuadetur eſt, quia conſuetudine Cleri abrogatur Pontificium ius, ſtatuto autem non infirmatur vllo modo, quod not. in c. ſuper his de maior. & obed.

Sed profecto diſcrimen iſtud inter municipale, & conſuetudinarium ius non fundatur in potentia, ſed in alijs, de quibus Abb. in c. fin. n. 9. de Conſuet. Fely. d. c. quod ſuper his n. 3. Azor. to. 1. lib. 5. c. 18. quæſt. 11.

1 Exiſtimo ego, deceptos fuiſſe illos. qui affirmarunt indiſtincte, cuilibet populo ſtatuendi facultatem ineſſe, in hoc enim Clerici, & Laici ęquales ſunt, & neutri poſſunt aduerſus Pontificum, aut Principum leges aliquid ſtatuere. Loquor autem de Laicis imperio ſubiectis, nam profecto libera Reſp. leges condit, quod & rationis eſt, & cautum expreſſe in l. omnes populi ff. de Iuſt. & Iu. Conſuetudinem verò vtriq; inducunt, quod hec non ab ipſis Clericis, vel Laicis, ſed à Pontificum, & Principum adſenſu pendet, vt diximus, neq; enim ſolum differunt conſue-
2 tudo, & lex penes conſenſum tacitum, vel expreſſum, vt d. l. de quibus ff. de ll. ſed quia ſtatutum ex authoritate ſtatuentium vim habet, quæ authoritas nulla eſt in ſubditis imperio, at conſuetudo non ab authoritate adſueſcentium, ſed Pontificum, ac Principum conceſſione pendet. Quare neutri legem ſtatuere poſſunt, vtriq; tamen conſuetudinem recta inducunt.

Eandem rem ſubtilius examinat Franc. Suar. de ll. lib. 7. c. 18. num. 4. & c. 9. num. 9. quia capacitas longe diuerſa requiritur in ſtatuenda lege, atq; in inducenda conſuetudine, quippe in lege opus eſt actiua capacitate, in conſuetudine autem ſufficit paſsiua.

Aut enim conſuetudo eſt præter legem, ita vt obligetur ex ea Populus ad aliquid, & tunc, ſi recipiendæ eius obligationis à lege Principis capax eſt Populus, valet conſuetudo, quia conſenſus capitis, hoc eſt, Principis ei accedit.

Aut eſt contra legem, ita, vt eam populus deſuetudine

abroget, tunc, ſi capax eſt Populus, vt poſsit à Principe recipere authoritatem ſtatuendi aliquid aduerſus legem, valet deſuetudo illa abrogatiua legis, quia conſenſus pariter capitis ei adhæret.

Ratio autem diſcriminis inter vtranq; capacitatem eſt,quia actus repugnandi per conſuetudinem legi non eſt Iuriſdictionis, aut publicæ poteſtatis, qualis ſtatuédæ legis actus
3 ſed eorum potius, qui legi parere debent, quæ ratio efficit, vt in populo Laico ſit poteſtas inducendæ conſuetudinis, qua lex Eccleſiaſtica abrogetur, quia capax eſt eandem abrogandi per legem, ſi Pontifex concedat. Quorum omnium ratio prima eſt, quia ex parte ſubditorum conſuetudo non aufert quaſi actiue legem, ſed ſuo modo exigit, obtinetq; à Superiore, vt illam auferat.

Nouum Pragmaticis obueniet, non poſſe imperio ſubditas Ciuitates condere ſtatuta, adeo videtur aperte cautum quod ipſi credunt in d. l. omnes populi. *Nam quod quiſq; Populus ipſe ſibi ius ſtatuerit, id ipſius proprium Ciuitatis eſt, vocaturq; ius Ciuile, quaſi ius proprium ipſius Ciuitatis.* Et generalem hanc legis permiſſionem ſufficere autumant abſq; peculiari ſcientia,vel approbatione Principis.

Sed nihil tam erroneum; nam proprium ius ibi non eſt, vt affirmant,cuiuſq; loci Municipale à communi Iure diſtin
4 ctum, ſed ius proprium dicitur, ideſt, omnium gentium non commune, quod & recétiores Thelogi agnouerunt, & ex vetuſtioribus Iuris conſultis nonnulli,& profecto ſtatutorum materiam ab ea lege alieniſſimam eſſe, rectè Cuiac. ad ipſam notat.

At vero approbatione Principis opus eſſe, & praxis oſtendit, teſte Iaſ. in d. l. omnes populi num. 35. & iure comprobari videtur. l. ſi quod extraordinarium C. de legat. lib. 10. l. 3. C. de ll. & alijs pluribus, tum iuribus, tum rationibus, de quibus latiſs. Bal. in d. l. omnes populi num. 8. Suar. de ll. lib. 3. cap. 9. n. 17. Salas de ll. q. 95. tract. 14. diſp. 7. ſect. 14. per tot. cum Vaſq. & alijs.

5 Et quidem iura omnia poſitiua, aut Gentium, aut Ciuilia, immo, & naturalia, vt pulchre concludit idem Suar. de ll. lib. 1. cap. 8. exigunt publicam in lege poteſtatem, quæ in vnaquaq; communitate ſui ordinis ſuprema eſt. Hanc in Eccleſia Pontifex, in Regno temporali Rex, in

Rep.

Rep. quæ ariſtocratice gubernatur tota Reſp. habet D. Tho. cum Interpr. 1. 2. quæſt. 90. art. 3. Suprema igitur poteſtas ſupremi capitis eſt, qualecunq; illud ſit; in inferioribus vero, & ſubordinatis Principibus tanta eſt, quanta illis communicatur à capite. Quæ cum ita ſint, nulla, vel ratione, vel lege poſſunt ſibi ſubditæ Ciuitates ſtatuendæ leges poteſtatem vendicare; quod ſi aliquid agant, cõtinuo approbat one primi, ſupremiq; capitis opus eſt. An autem poſſint de aliquibus ſtatuere, & quanti facienda ſit vulgaris illa diſcriminatio inter magnas, paruaſq; Ciuitates, examinat idem Suar. d. lib. 3. cap. 8. num. 18. & ſeq. Omnes in d. l. omnes populi.

6 2. Arg. Quia iuriſdictio conſuetudine acquiritur, non lege, aut ſtatuto. arg. l. 4. ff. de tut. & Cur. dat. ab his, &c.

At Bal. in d. l. omnes populi num. 8. rei cauſam notat, quod non poſſit populus ſe Iuriſdictionibus, & Magiſtratibus immiſcere abſq; adſenſu Principis.

Equidem pene puer, dum hæc publice diſceptarem, reſpondi ex ingenio, conſuetudinem, qua iuriſdictio comparatur, nihil eſſe aliud, quam licitam quandam præſcriptionem, ſiue vſurpationem, quæ rectè iuriſdictioni reſpondet, ad eamq; ordinari poteſt; ſecus dicebam in ſtatuto, neq; enim ſtatuta ad acquiſitiones extenduntur l. legis virtus ff. de ll.

7 Nunc duo propono. Alterum, ſtatutum hoc procul dubio valere poſſe, ſi confirmetur à Principe, quod neceſſarium puto. Alterum, ſe poſita Principis conceſſione, & confirmatione, neq; hoc valere poſſe, neq; aliud. Quod autem ad conſuetudinem pertinet, iam dixi, ibi conſuetudinem induci ex conſenſu capitis, vbi eſt paſſiua rei capacitas, Itaq; ſi demus Populo Iuriſdictionis habendæ capacitatem, non repugnat, Iuriſdictionem conſuetudine acquiri poſſe.

8 Illud in cunctis repetitum volo, male vt plurimum conſuetudinem ſtatuto comparari, namq; illa ſemper induci poteſt, ſemperq; habet Principis adſenſum; hoc vero nuſquam inducitur abſq; ſpeciali conceſſione, & approbatione Principis. Quod ſi ſtatutum à Principe confirmatum conſuetudini comparemus, vt par eſt, non oberrabimus.

D 2 9. 3. Arg.

9 3. Arg. Conſuetudo valet, vt nouus Canonicus in vtilitatem Eccleſiæ, vel Sacrarij eroget aliquid; at hoc idem ſtatuto caueri non poteſt. Fely. in c. cum M. h. t. n. 20. ex c. ex multis prope fi. 1. q. 3. quo decernitur, nihil exigi poſſe, quod in conſtructionem, vel aliam quamlibet Eccleſiæ vtilitatem conferatur, ne beneficia videantur pretio dari.

At R. neq; hoc quidem diſcrimen, ſi verum eſt, in maiore potentia ſtatui poſſe, ſed magis in honeſtate cauſæ, nam ſtatuto exigitur, vt principium voluntarium nullum habeat, ſed coactiuum, ideoq; Simoniacum, paria enim ſunt expreſſe petere, & cum editione ſtatuti petere. At conſuetudo voluntarium principium, licitumq; habet, profluens à liberalitate, quocirca, & laudabilior eſt, & magis citra ſuſpicionem peccati.

Alij nec pactum, nec ſtatutum, nec conſuetudinem valere autumant. Et quidem in pacto, & ſtatuto nulla dubitatio eſt. Sed nec illud in conſuetudine refert, voluntarijs
10 ne ſit initium, aut ſecus, quoniam in crimine Simoniaco ſpectatur tempus, quo temporale ſpirituali commutatur, quo quidem tempore iam inducta conſuetudo parem ſtatuto neceſſitatem habere videtur. Vide Rip. d. c. cum M. num. 127.

Atqui illud etiam animaduertendum, fuerit ne ſtatutum illud à Pontifice confirmatum, quod exigi probauimus, tunc enim non minus quam conſuetudo valebit.

11 4. Arg. Conſuetudo poteſt inducere, vt priuata ſcriptura fidem faciat c. cum dilectus de fi. inſtr. non quidem ſemper, atq; indiſtincte, ſed cum temperamento, ſi honeſta perſona, ſi fide digna proponatur, vt ibi. Et adde Bald. in l. 1. num. 6. verſ. ſin autem conſuetudo C. de Confeſſ. At hoc ſtatutum non poteſt, quod multi docent. ergo, &c.

Sed vtrunq; valere, tum conſuetudinem, tum ſtatutum cum eodem temperamento rectius alij iudicant; nec de ſtatuto nobis vllatenus dubitare licet, qui Principis approbationem præſuponimus.

At profecto non erit difficile cuiquam reperire teſtes, qui locupletiſſima probitatis teſtimonia ferant, quod ego re ipſa pluries ſum expertus. Cauenda igitur conſuetudo

illa

illa maxime videtur, ne dixerim eradicanda, qua vniuſcuiuſq; perſonæ libris, priuatiſue documentis nulla habita rerum, ac perſonarum ratione creditur, neſcio enim quam rationi conſona.

12 5. Arg. Conſuetudo Laicorum fauorabilis Eccleſiæ ſuſtinetur, eaq; lex Eccleſiaſtica recte inducitur, nec tamen de rebus Eccleſiæ legem, ſeu ſtatutum, licet fauorabile condere poſſunt.

R. ex ſupradictis, facilius induci conſuetudinem, quam legem, ſeu ſtatutum, ea ratione, quia conſuetudini ſat eſt paſſiua capacitas, quæ & Laicis in eſſe videtur.

At (inquies) in Laicorum communitate nulla talis capacitas inuenitur, neq; enim poſſent recipere poteſtatem. ferendi legem ſcriptam Eccleſiaſticam; quare, &c.

13 Sed occurro, duplicem cuilibet communitati capacitatem ineſſe, alteram ferendæ legis recipiendæ alteram. Itaq; ſi neges Chriſtiano populo capacitatem illam, vt ferendæ legis poteſtatem capere poſſit, erit tamen in eodē altera capacitas, vt ei poſſit huiuſmodi lex imponi; atq; id ex ſe ſufficit ad conſuetudinem, vbi Prælati conſenſus accedit. Et probatur, nam ſatis eſt, vt communitas illa modo aliquo integra, ac perfecta in ſuo ordine cenſea-

14 tur, imperfecta enim particularis quidem præcepti capax eſt, at non propriæ legis; pulchre Suar. de ll. lib. 7. c. 9. num. 10. Vides, quanto maior in ferenda lege, quam inducenda conſuetudine exigatur capacitas, at potentius quidem videtur, quod maiore indiget authoritate.

15 Nec minus defendi poteſt, communitatem Laici populi ex ſe ſuiq; natura conſideratam in materia etiam Religionis, diuiniq; cultus, legislatiuæ poteſtatis vbiq; capacem eſſe, quod ſufficit, vt poſſit accedente Prælati conſenſu, Eccleſiaſticam conſuetudinem introducere, eademq; obligari, neq; enim huic officit, nunc Paſtoribus commiſſam Eccleſiam, eamq; poteſtatem ad altiores ordines eleuari. Vide ibid. Suar. Et lib. 4. de Voto c. 9. num. 10.

16 6. Arg. Quia Mercatorum communitas nulla ſtatuendæ legis authoritate fungitur, & tamen valide conſuetudinem inducit, quod not. in l. 2. C Conſt. pecun. Et in l. omnes populi ff. de Iuſt. & Iur. Vide eund. Suar. d. lib. 7. cap. 9. num. 8.

Qui demum R. Mercatorum communitatem poſſe eo modo conſuetudinem introducere, quo ſtatuendæ legis capax eſt, quare plus nihil conſuetudini ineſſe videtur.

Probat, nam ſi conſideretur ex ſe talis communitas, poteſt ſolum ſtatuta quædam conuentionalia condere, quæ in vim conuentionis, & pacti cuiuſdam teneant, non proprie legis. Quod ſi vt coniuncta Principi ſpectetur, vel vt habens à Principe poteſtatem, tunc ſtatuta quædam municipalia condere poteſt, atq; ita conſuetudinem inducere, quæ municipali iuri proportione reſpondeat. Sic non obſcure Leo, & Ant. Imp. reſcripſere in l. vlt. C. quæ ſit lon. conſue. quo loci cum premonuiſſent, antiquitus probatam, tenaciterq; retentam conſuetudinem vim legis obtinere, ſtatim ſubiungunt. *Et quod officijs, Curijs, Ciuitatibus, principijs, vel Collegijs præſtitum fuiſſe cognoſcitur, perpetuæ legis vicem obtinere ſtatuimus.* Quod Gloſator cum Azo. de conſuetudine recte accipit, vt legi conueniat, & Titulo.

17 7. Arg. fœminæ non poſſunt condere leges, quod concedunt omnes, cum tamen fœminarum communitas, vt p. Monialium Religio conſuetudine ius inducat, vti ſcribitur ad dicta l. de quibus ff. de ll. & l. 2. C. quæ ſit lon. conſuet.

At R. illud ex eo eſſe, quoniam paſſiua capacitas conſuetudini ſufficiens feminarum communitati ineſt, actiua autem capacitas ſtatuto neceſſaria minimè; quo circa earũ conſuetudo à Prælato recepta legem inducit, at condendæ legis facultas nulla eſt.

18 Vlt. Arg. Conſuetudo priuatæ vnius familiæ legem inducit, nec tamen priuata familia poteſt condere leges.

19 Huic poteris eodem modo occurrere. At Suar. d. cap. 9. num. 11. abſolute negat, quod aſſeritur, etenim priuata familia, nec actiue, nec paſsiue legis capax eſt, quia imperfecta eſt communitas. Vide eund. latiſſ. lib. 1 cap. 6. num. 18. & per tot. neq; igitur conſuetudine ius inducit, & ſi quid circa eam ſtatuatur, præceptum dicitur, non lex.

VNde maior nobilitas dignoſcatur. 1.
Vetuſtas cur index maioris nobilitatis. 2.

Fami-

*Familiæ quo vetuſtiores, eo nobiliores, & cur?* 3.
*Conſuetudinis initium humile, legis præclarum.* 4.
*Delegatus Principis potentior, ordinarius nobilior.* 5.
*Potentia, & nobilitas ſegregantur.* 6.
*Lex, & conſuetudo quaſi excedentia, & exceſſa.* 7.
*Conſuetudo videtur quandoq; potentior lege.* 8.
*Conſuetudo potentiam ſuam quaſi mutuatur a lege.* 9.

HAec de nobilitate, antiquitate, & potentia dixiſſe ſufficiat, quibus Rub. prima pars abſoluitur. Singulares autem caſus, quibus ſupra conſuetudinem legis virtus eniteat, conſulto prætereo.

1 Et quidem maior legis nobilitas in tuto eſt. Maior etiam antiquitas defenditur, ſed non vndiq; ideo varij varia in medium protulere, quaſi certo exiſtimantes, ex maiori vetuſtate maiorem continuo nobilitatem ſequi. ex l. 1. ff. de Cenſ. l. prouidendum C. de Poſtul. §. ſingulorum Inſt. de rer. diuiſ. l. 1. & 2. ff. de al. ſcrib. cap. 1. verſ. cæteri verò. quis dica. dux &c. in vſib. feud. & ſi quæ alia perperam adducantur.

Alij igitur maioris authoritatis rationem haberi volunt, atq; inde cedere vetuſtatem. all. c. ſtatuimus de maior. & obed. Alij dignitatis, ex l. ſemper ff. de Iu. immun. iun. d. l. 1. & 2. atq; adeo cęteris paribus præferendam vetuſtatem l. fin. ff. de fi. inſtr. §. fin. Auth. de Monach. Alij efficientis, aut ſubiecti, c. duo ſunt 96. diſt. ſic ratione ſubiecti ius Pontificium antiquiori Cęſareo præferendum autumant.

2 Ego prærogatiuam aliquam, venerationemq; temporis eſſe non inficior; illud tamen aſſero, vbi nobilitas aliqua vetuſtati tribuitur, illud merito vetuſtatis non fieri, ſed quia principium aliquod præclarum, atq; venerandum præſupponitur, à quo ipſa plane vetuſtas nobilitatem ſuam mutari videatur.

3 Sic familiæ, quo vetuſtiores, eo habentur nobiliores, quod vel ex alijs cauſis fit, vel ex hac potiſsimum, quia præclarum quoddam initium, & ab omni inuidia remotum præſupponitur in ijſdem, cuius munere ipſa antiquitas condecorata illuſtret, nam & obſcuræ familiæ principium idem frequenter habent vetuſtatis, nullum tamen

quod ſplendeat. Vide Franc. Picol. de morib. gra. 8. cap. 19. circa fin.

4 Videamus igitur, an illuſtre aliquod principium in conſuetudine praeaccipiendum neceſſario ſit; & conſtat ex prædictis, humillimum neceſſario eſſe conſuetudinis initium, legis autem illuſtre ſemper, ac venerandum, quocirca quid proficiat hic antiquitas, cæteri diiudicent.

Quod verò ad maiorem potentiam attinet, in aperto eſt prærogatiua legis. Verum, qui titubant, rem aliter de-

5 fendunt. Negant alij ex potentia deduci nobilitatem, prout delegato Principis maior potentia adſcribi ſolet, vt plurimum, ordinario vero maior nobilitas in Rubr. inf.

6 de off. deleg. & Rubr. ff. de off. eius, &c. Item potentia, & nobilitas haud obſcure ſegregantur in c. ſuper eo. 22. de Teſt. plura congerit Tiraq. de nobil. c. 37. num. 65.

7 Alij quaſi excedentia, atq; exceſſa legem, conſuetudinemq; volunt eſſe, quod in aliquibus conſuutudo ſupra legem, in multi tamen contra conſuetudinem lex eſſe videatur.

8 Ego duo ſtatuo. Primum eſt, ſi forte potentior aliquando conſuetudo videatur, quam lex, illud non eſſe, quod maiores conſuetudini traditæ ſint vires, ſed quia ex circumſtantijs habet conſuetudo rationis æquitatem, & bonitatem, qua lex omnino careat, prout in 3. arg. vltimæ quæſtionis nonnulli tuentur.

9 2. eſt, ſi forte potentior in aliquo conſuetudo videatur, potentiam habere mutuatam à lege, neq; enim proprijs viribus Potens conſuetudo eſt, ſed ipſius legis, quæ ipſi talem potentiam, & dare potuit, & auferre. Igitur ſe quaſi lex conſuetudini flectit, humilemq; præbet, quod vult, & poteſt, non cogitur tamen. Sic fere Princeps ſuę ſe legi ſubijcit ex voluntate, & honeſtate l. digna vox C. de ll. cum ſimil. nec tamen propria lege impotentior eſt,

RVB.

# RVB. DE CONSTIT.

## SECVNDA PARS.

*Conſtitutionis nomen æquiuocum, & quid proprie ſignificet.* 1.
*Conſtitutionis nomen generale.* 2.
*Lex proprie dicitur, quæ a Populo.* 3.
*Conſtitutionis Ethymologia.* 4.
*Eiuſdem definitio.* 5.
*Conſtitutionis appellatio latiſſima.* 6.
*Populus, Imperator, & Rex comparantur.* 7.
*Vulgo ver. quid ſignificet.* 8.
*Ex prærogatiua Principis lex conſtitutio dicitur.* 9.
*Proprie dicitur, quod per eminentiam tale.* 10.
*Lex, & conſtitutio ſegregantur.* 11.
*Conſtitutio nomen generis, & ſpeciei.* 12.
*Conſtitutio quid ſignificet ex Iuris vſurpatione* 13.
*Generis appellatio an propria.* 14.
*Conſtituendi ver latiſſimum.* 15.
*Arg. ab Ethym. fallax.* 16.
*Prepoſitiones adiunctæ in gratiam Euphoniæ.* 17.
*Supremus Princeps Pop. Comitia repræſentat.* 18.
*Imperatoriæ conſtitutioni Edicti nomen conuenit.* 19.
*Regalia quæ.* 20.
*Comparatio Imperatoris ac Regis examinatur.* 21.
*Communis vſus loquendi quando propriæ ſignificationi opponetur.* 22.
*Quæ definitio Conſtitutioni conueniat.* 23.
*Vtilitas quæſtionis.* 24.

1 Conſtitutionis nomen æquiuocum eſt, & plura, quæ ratione omnino diſcrepant, ambitu ſuo compræhẽdit. Vide Scriben. hic, & Calui. in Lex. ver. conſtitutio. At potiori ſignificatu legem ſignificat, vt in Rubr. & Tit. proprie quidem ſupremi Principis, improprie etiam Inferioris. Panor. num. 1. quæ res in controuerſia eſt, neq; enim defuere, qui Inferioris cuius libet legem proprio con-

conſtitutionis nomine nuncupari poſſe cenſuerunt. Milia. 3. p. n. *6.*

2 Primum arg. eſt, quia conſtitutionis nomen æque generale eſt ad omnes leges vel ſupremorum Principum, vel inferiorum, quod patet gemina definitione legis in c. lex eſt 1. diſtinct. & c. lex eſt 2. diſtinct. vtrobiq; enim loco generis conſtitutio ponitur, eodemq; modo accipitur in c. conſuetudo ꝯ. cum itaq; 1. diſtinct. & in Rubr. noſtra, vt patet iuribus ſub ea conſtitutis, de quibus inf. Hinc duæ illæ Rubr. ff. & C. inſcribuntur *de Conſt. Princ.* quod minime neceſſarium fuiſſet, ſi conſtitutionis appellatione magis proprie Imperatoria diſpoſitio ſignificaretur, nec profecto vim nominis Tribon. ignorauit.

3 Confir. 1. Nam lex proprie dicitur, quæ à Popul. Rom. eſt. ꝯ. lex eſt Inſt. de Iur. Nat. At hæc eadem ſub genere Conſtitutionis ponitur d. c. lex eſt. 2. diſtinct. *Lex eſt Conſtitutio Pop. qua maiores natu. &c.* Et *conſtituendi* verbum tum Principis, tum alterius cuiuslibet legibus aptum eſt. d. ꝯ. lex eſt, & ꝯ. plebiſcita eod. Tit. l. 2. ꝯ. deinde ff. de Orig. & Iur. & alibi paſſim.

4 Immo cum dicatur conſtitutio quaſi communis quædam ſtatuitio, vel ſimul ſtatuitio, vt inf. dicemus, certe conſtitutionis appellatio Populi magis, aut Reip. legibus congruit, quam vnius Principis, aut perſonæ, qualiſcunq; illa ſit, quod enim Princeps cum Proceribus legem ſtatuat, aut Pontifex cum Cardinalibus, contingens eſt, nullamq; vim, aut neceſſitatem ſupremis illis Legumlatoribus infert.

5 2. ex definitione Conſtitutionis, de qua in c. conſtitutio 2. diſt. *Conſtitutio vel edictum eſt, quod Rex, vel Imperator conſtituit, vel edicit.* Iam igitur cum Imperatore coniunditur Rex, & cum edicto conſtitutio.

6 3. Ex iuribus permultis, quæ Conſtitutionum nomine quorumcunque Inferiorum leges conſignificant, vt Canonicorum c. cum M. & c. cum omnes h. t. Ciuium Teruiſinorum c. quæ in Eccleſiarum eod. Doctorum Pariſienſium c. ex literis eod Legatorum c. fin. de off. leg. Adde tex. initio 7. & 8. diſtinct. in Clem. conſtitutionem, & Clem. ne Romani de Elect. cum ſimil. Hinc Diœceſanæ Synodi leges Conſtitutionum appellatione vbiq; cenſentur.

4 Quia eatenus Conſtitutionis nomen extenditur, quatenus appellatio Canonis c. 1. 3. diſtinct. iun. c. Regula §. porro ibid. quibus etiam videre eſt, quanta ſit Canonis latitudo.

7 5. Ex natura conditoris, qui ſi Populus eſt, eandem habuit prerogatiuam ante legem Regiam l. 1. ff. de conſtit. Princ. §. ſed quod Principi Inſt. de Iur. Nat. *Si* Rex, non minorem habet in ſuo Regno poteſtatem, quam in ſua ditione Imperator habeat, comparaturq; Imperatori in c. ſuper quibuſdam de verb. ſignific. plurimiq; Reges, & duces Imperialia Iura habẽt. Vide Aud. de Exam. 89. & ſeq.

Secundo Arg. deducitur ex d. l. 1. ff. de Conſtit. Princ. quo loci ſcripti Iuris partibus enumeratis, de Principum placitis ita loquitur Vlpia. *Hæ ſunt, quas vulgo conſtitutiones ap-*
8 *pellamus.* Quod *vulgo* dicit, communem loquendi vſum premonſtrat, quare ex aduerſo ſtat propria ſignificatio. Bar. in l. omnes populi n. 58. ff. de Iuſt. & Iu. Et ex d. l. 1. ſuppleri debet, quod Trib. poſtea tranſcripſit in d. §. ſed quod Principi.

Confir. Arg. quoniam idem Trib. dum ſcripti Iuris partes recenſuit in §. conſtat Inſt. de Iu. Nat. & ſingulas ſingulis nominibus nuncupauit, non *Principum Conſtitutiones* dixit, ſed *Placita, quæ Conſtitutiones appellantur*, quare, &c.

Præualuit tamen contraria ſententia, ſolam Imperatoris, aut Pontificis legem proprio conſtitutionis nomine ſignificari, quia .ſ. in ſignum prærogatiuæ ſupremi Principis
9 repertum eſt, vt proprio aliquo nomine lex ab eo lata nuncupari debeat; quod Pontificio iure probatur ex d. c. conſtitutio. 2. diſt. quo loci in vulgatis Codicibus adjicitur taxatiua. *Quod Rex, vel Imperator tantum conſtituit, &c.* Iure autem Cæſareo ex d. l. 1. ff. de Conſtit. Princ. & d. §. Sed quod Principi. *Hæ ſunt, quæ conſtitutiones appellantur.* ſ. poſt latam legẽ Regiam proprium hoc nomen Principum legibus adſcriptum eſt, vt Conſtitutiones nũcupentur. Et Pomp. Il. 12. l. 2. §. deinde verſ. ita in Ciuitate ff. de orig. Iu. varia legum, Magiſtratuumq. nomina, atque origines ſigillatim recenſet, ſubiungitque poſt quædam. *Aut eſt principalis conſtitutio, id eſt, quod Princeps conſtituit pro lege ſeruetur.*

Dicunt

Dicunt his tantum probari, legem Principis per eminẽtiam conſtitutionis nomine ſignificari, vt Vatis appellatione Virgilium, &c. At profectò ibid. Legumlatores profitentur ſingulis ſingula, propriaq. nomina tribuere, præter-
10 quam quod Satis proprium alicuius rei dicitur, quod il-
11 la per eminentiam habet. Adde Quintil. lib.8.c.2. de Perſpic. Et lex atq. Conſtitutio ſegregantur apertiſſime in l. leges. C. de Quadr.præſ. ibi *Legibus, ſeu ſacratiſſimis Conſtitutionibus*. Et vide Conna. lib. 1. c.16. n. 1.

12 Et probatur euidenti ratione. Etenim ſi conſtitutio eſt nomẽ generis, & ſpeciei, vt adoptio, & ſim. ſeq. generali nomine denotat Conſtitutiones, Leges, decretaq; omnia, quæcunq; vel à ſupremis Principibus emanent, vel ab inferioribus, ſpeciali autem appellatione ſupremorũ Principum iura, profectò hæc propria erit Conſtitutionis appellatio.

13 Præterquamquod Legumlatores ſæpe ſibi verba aliqua, aut nomina. vſurpant, propriaq; faciunt, quæ ex genuina ac primœua ſignificatione aliud conſignificant. fatendũ igitur, omne id, quod ſtatuitur, atq; decernitur, conſtitutionis nomine appellari poſſe, ſi nominis primœuam, ac genuinam ſignificationem ſpectemus, atqui Iuris Conſultorum impoſitio longe diuerſa eſt.

14 Ex his primum arg. facile tollitur, cui tamen alij reſpondebant, appellationem generis non eſſe propriam, quod in controuerſia eſt. Vide Alciat. lib. 1. de verb. ſignific. num. 4. Polit. tract. de ſubſt. in prælud. num. 13. Repet. in Rubr. de leg. 1.

Quod autem Trib. inſcripſerit *De Conſt. Princ.* Non vt ſecluderet aliorum Conſtitutiones hoc fecit, ſed vt Conditorem connotaret, ſimulq; oſtenderet, hunc Principem eſſe, non alium. Sic *lex populi* dicitur, nec tamen alterius quam Populi dicitur proprie lex.

Ad 1. Confir. iam reſponſum eſt, valet enim vbi conſtitutionis nomen generatim accipitur, & Populi legem quaſi ſpeciem ſub ſe continet, ſicut etiam *conſtituendi* verb. la-
15 titudinem habet, qua leges omnes attingere valeat ſecundum grammaticalem ſignificationem, nec minus apud Iuris Conſultos, qui ſolum nomen pro lege Principis
16 vſurpaſſe videntur, non verbum. Argumentum verò ab

Eth.

Eth. fallax eſt, potiſſimum vbi certa eſt Iuris definitio.

17 Nouimus etiam inter Grammaticos præpoſitiones mul tas verbis ſæpe adijci in gratiam Euphoniæ, & elegantio-
18 ris locutionis. Neq; illud prætereo ſupremum Principem totius Populi Comitia repræſentare, ſolumq; efficere poſſe, atq: conſtituere, quod ſimul vniuerſus terrarum Orbis faceret, & conſtitueret; quare non mirum, ſi eo nomine appelletur Principis lex, quo totius Populi decretũ nuncupari oporteret. Ita de ſemetipſo ſupremus Princeps per modum plurium perſonarum loqui conſueuit, vt ex proem. Inſt. & alijs compl.

Ad 2. confir. Reſp. Bero. num. 17. ſingula ſingulis referri oportere, Imperatori quidem Conſtitutionem, Regi ve-
19 rò edictum; quod alij impugnant; & profectò etiam Imperatoriæ Conſtitutioni edicti nomen conuenire videtur. l. 3. C. de ll. l. hac edictali C. de ſec. Nupt. l. vlt. cum Rubr. C. de edi. D. Adr. toll. & ſimil.

Exiſtimaueram quandoq; pro eodem ſtare in præd. definitione Regis nomen, atq; Imperatoris, atq; exponendum *Rex, hoc eſt, Imperator*, nec deficiebat Iuris authoritas. Vide l. à Zenone *C.* de Quadr. præſcr. ibi. *Si a Regali culmine*, cum ſimil. Sic feudiſtæ Regem plerumq; pro Imperatore nominant, vnde *Regalia* Imperatorum Iura. At
20 nunc dixerim magis, definiri Conſtitutionem generatim ut eadem cum edicto eſt, cœteriſq; Iuris partibus. Nec minus definientis auctoritatem negare, vel ex Grammaticali ratione locutum fuiſſe poſſumus aſſerere.

Ad 3. & 4. confir. nihil addiderim, neq; enim Conſtitutionis nomen latiſſimum quandoq; eſſe quiſquã negauerit.
21 Ad 5. confir. R. comparationem Imperatoris, & Regis perdifficilem eſſe, idq; probabilius, nuſquam Regi competere Priuilegia, quæ ſibi Imperator reſeruauerit. Sed quod ad rem pertinet, eandem Regi vim, ac poteſtatem in ſuo Regno concedimus, ſed Imperatoris nomen officiũ dignitas, ſeu maieſtas nemini communicatur, vel ille ſit Rex, vel iura habeat Imperialia, neq; igitur poterit aliquis ſibi proprie vſurpare conſtitutionis nomen, ſuiſue legibus tribuere, quod tantum Imperialiabus decretis ex prærogatiua conceſſum eſt.

22 Ad 2. Arg. R. communem vſum loquendi arguere pro

priam

priam ſignificationem ei contrariam, quando de ea conſtat, ſecus proprium dicitur illud, quod communis vſus denominat. Vide omnes in Rub. ff. de op. no. nunc. Polit. ibid. & quod lyr Vates.

. . . . . . . . . . . . . . Si volet vſus,

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

At etiam Vlp. ita loquitur. *Hæ ſunt, quas vulgo Conſtitutiones appellamus*. Neq; igitur denominatio Vulgi eſt, ſed Iuriſconſultorum, & quam (ita dixerim) Iuriſconſultorum Vulgus approbauit.

Quod autem Trib. *Principum placita* dixerit, non refert ſtatim enim ſubiunſit. *Hæ ſunt, quæ Conſtitutiones appellantur*.

33 Hinc definitiones facile colliges, etenim, ſi Conſtitutionis nomen generatim ſumas, communis definitio legis omnino conuenit. Vide Suar. de ll. lib. 1. cap. 1. quod ſi ſpecialiter; illud quod Imperator tantum, aut Pontifex decreuerit, conſtitutio eſt.

34 Quæſtionis vtilitas in eo maxime ponitur, vt ſciamus, quid nomine conſtitutionis accipiendum ſit in ſtatutis, Priuilegijs alijsq; conſimil. quæ ſtricte, & proprie interpretantur.

# RVB. DE CONSTIT.

## TERTIA PARS.

*Conſtitutio vnde dicta.* 1.
*Perſonalis conſtitutio non egreditur perſonam.* 2.
*Et improprie conſtitutio dicitur.* 3.
*Clauſa in corpore Iuris generalis ſit.* 4.
*Vni poſita ſeruauter, obligat virtute omnes.* 5.

1 PRimam Eth. rationem habet Abb. n. 1. Conſtitutio ( ait ) quaſi comunis ſtatuitio eſt, leges .n. ad certas perſonas non diriguntur, ſed communes ſunt c. erit autẽ lex. 4. diſt.

2 Opponuntur perſonales conſtitutiones, quæ neq; communes ſunt, neq; perſonam tranſgrediuntur, vel trahuntur ad exemplũ. l. 1. ff. de conſt. Princ. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. nat. gen. & Ciu.

Hic ſe Scribentes examinant, quaſi vniuerſum Pontificium ius in diſcrimine ſit ſi forte in vnica Ethym. ratione maneat Abb. indefenſus.

3 Alij igitur Conſtitutiones perſonales improprie Conſtitutiones dici affirmant, quod generale præceptum non includant, atq; ideo ex ſola vi obligandi, quam habent, conſtitutiones appellari.

4 Alij referre putant, ſint ne clauſæ in corpore Iuris, tunc .n. generales fiunt. §. quibus 1. conſt. cod. *Sicut, & illas vim generalis conſtitutionis obtinere palam eſt, quæ ad certas perſonas reſcriptę. & c. nouo Codici in ſertæ ſunt.* Et §. hunc igitur C. de Iuſt. C. confir. *Vel quæ ad certas perſonas reſcripta ſunt, cum omnes generalium Conſtitutionum vim obtinere procul dubio eſt* Adde Bar. l. ſi pluribus n. 5. ff. de leg. 2. Conna. lib. 1. c. 8. n. 6. Et quę dicam inf.

At profecto de his, quæ inſertæ corpore Iuris generales fiũt, neq; Vlp ſenſit in d. l. 1. neq. Trib. in d. §. ſed quod Principi; hæ .n. ad exemplum trahũtur Doctrina etiam Abbatis abſoluta eſt, nec diſtrutionem patitur.

5 Quem ſi tueri libeat, conſidera, legem omnem, ſeu Cõſtitutionem, vtcumq; ad certam perſonam dirigatur, ſem per quodammodo generalem eſſe. Etenim ſi perſonæ ſingulari feratur, vel odium, vel fauorem contineat. l. amiſſione §. 1. ff. de cap minu. l. neq; Dorotheum C. de Decur. lib. x. formaliter ( ita loquar ) ad eam perſonam pertinet, virtute autem multos obligat. finge, lege lata, ſempronium fuiſſe Reip. hoſtem iudicatum d. §. 1. eum profecto omnes quaſi hoſtem habere debent; Vni igitur ſempronio lex dicitur, ſed omnes obligal. finge rurſus, alia lege lata, vni Dorotheo priuilegium aliquod fuiſſe indultũ d. l. neq; Dorotheum, omnes prohibentur impugnare. Vera igitur lex fuit, quę de reditu Ciceronis, de coede

Clo-

Clodij, veræ leges omnes, quæ ſingulis conduntur, & mul
tos virtute deuinciunt. Vide Salas. de ll. q. 90. tr. 14. Sect
7. n. 44.

Hic enim gemina quæſtio naſcitur. Altera, num de ratione
legis ſit, vt multitudini, ſeu Communitati feratur. Alte-
ra, num perſona illa ſingularis, cui lex ſpecialiter lata eſt,
ſi læſionem prætendat, appellare poſsit, vel excipere.

*LEx vni impoſita an habeat veræ legis eſſentialia.* 1. 9.
*Communitas ficta perſona eſt.* 2.
*Dictamen rationis eſt, & dicitur lex naturæ.* 3. 13.
*Leges omnes generales ſunt.* 4. 6.
*A Priuilegio lex condiſtinguitur.* 5.
*Legem perpetuam eſſe oportet.* 7.
*Priuilegium cur priuata lex dicatur.* 8.
*Lex a Precepto, & moraliter, & Phiſice diſtingui poteſt.* 10.
*Communitatis nomen quotupliciter acceptum.* 11.
*Comunitati etiam, vt communitas eſt, vera lex imponi poteſt* 12.

IN priori q. prima op. negat, quæ valde frequens apud
Canon. teste Suar. de ll. lib. 1. cap. 6. num. 6. nam præ
cipue Canones inter legem publicam priuatamq; diſtin-
xiſſe videntur. c. licet de Regular. c. duæ ſunt 19. quæſt.
2. Sed ibi profecto lex priuata aliud videtur ind care.

Magis igitur Cęſareo Iure probatur ſententia ex d. l. 1. ff. de
conſt. Princ. & d. §. ſed quod Principi Inſtit. de Iu. Nat.
&c. *Plane ex his quædam ſunt perſonales*; Et quandoq; in
alicuius ſingularis perſonæ odium, vel fauorem fertur ve-
ra lex d. l. amiſſione §. primo; d. l. neq; Dorotheum, & l.
Doctitij C. de Decur. lib. 10. Adducitur etiam, quod ha-
bet Vlpian. l. ambitioſa ff. de Decr. ab ord. facien. ſed ibi
certis perſonis ſalaria non lege conſtituuntur, ſed Decr.

Conſ. triplici ratione 1. quia contingens eſt, legem, vel ad
vnum dirigi, vel ad plures. Probatur, nam lex vni impo
1 ſita omnia veræ legis eſſentialia habere poteſt, vt ſcilicet
ſuprema poteſtate feratur, ſit iuſta, honeſta, vtilis, com-
muni bono accomodata &c. Quod igitur vni imponatur,
vel multis accidit ei non minus, quam præcepto, vt vnū
tangat, vel plures, neq; his minus, quam calori, vt vni ſu
biecto inhæreat, vel pluribus, & orationi, vt vni dicatur,
vel multis.

2. quia

2. Quia magis ſingulos homines, quam communitatem afficere lex videtur, communitas. ſi ficta quædam perſo-
2 na eſt. l. 1. 2.&c. tit.ff. quod cuiuſq; Vniuerſ. §.Vniuerſitatis Iuſt. de rer. diuiſ. immo pro vnica perſona habetur, quare. &c.

3. Quia dictamen rationis, quod vnicam perſonam obli
3 gat eſt, & dicitur lex naturæ.

Ex aduerſo ſtant Theologi. Philoſophi, & Iuriſperiti frequentius, inter quos Abb. num. 1. fely. c. cum. omnes h. t. num. 5. Ias. cum fulg. in l. 1. ff. de ll. num. 1. & ibid. cæteri. Ref.& ſeq. Suar. d. c.6. num 8. Salaſ. d. ſect.7. num. 44. Beca. Sum. Theol.p. 2. c. 1. tract. 2. quæſt. 6. num. 2.

4 Probant inductione omnium legum; Nam lex diuina vetus Iudaico Populo, Recens vniuerſæ Eccleſiæ præſcribitur, Preceptum Adæ quaſi capiti totius humanæ naturæ imponitur.

At idem ſuadent Canonica decreta, vt Proem. Decret. ibi. *Per quam humanum genus, vt honeſte viuat, informatur.*

5 Et c. 1. h. t. *Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus.* Sic a Priuilegio condiſtinguitur lex. in c. priuilegia diſt. 3. & ſupp. quod Iſid. habet in c. erit autem lex 4. diſt. fruſtra. n. adducitur, cum non repugnet, ſingulis hominibus latas leges communi bono conducere.

6 Adhærent Cæſarea Iura, quæ *non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* l. Iura ff. de ll. vt ſeruentur ab omnibus l. leges. 3. &.9. C. eod. Adde communia legum attributa l. 1. 2. 3. & ſeq. ff. eod. quibus illud quoq;
7 adnumera, legem perpetuam eſſe oportere l. falſo C. de diuer. reſer. atq; ideo communitati imponi, etenim ſingularia fluunt l. proponebatur ff. de Iud.

8 Contraria Iura ſublata ſunt, nam leges illæ virtute obligant plurimos, & priuilegium, ſeu perſonalis conſtitutio non ex priuatæ legis appellationem meruit, quia ſingulos obliget, quippe eius obligatio, bonum, & finis, ſaltem (vt aiunt) vltimatus vniuerſos tangit, qui Principis conceſſionem honorare tenentur, prohibenturq; infringere, ſed eo priuata lex dicitur, quia particulari, perſonæ ſpeciale ius aliquod concedit præter ius commune. Vide Suar. de ll. lib. 8. c. 1. num. 3.

Ad 1. Rationem R. ſigillatim. Quod enim lex vni impoſita

9 omnia leges eſſentialia habeat, negatur, deficit enim præ-
cipuum, de quo diſputamus, vt generale præceptum cō-
tineat. Quod præcepto ſimilis ſit falſum eſt, quia lex, &
præceptum non neceſſariò conuertuntur, quippe omnis
lex eſt præceptum, non contra. Præterea in re morali
10 non eſt tam anxiè inquirendum, an lex, & preceptum
eſſentiali diſcrimine diſtinguantur, eſto enim Phiſicè, &
ſecundum ſpecies actuum naturales non diſtinguantur,
moraliter tamen, & (quod aiunt) in eſſe artificiali omni-
nò ſecernuntur; Nam lex eſt quoddam veluti arte factū,
quod circumſtantia quædam, conditiones, habitudineſq;
habet ſibi proprias, quæ præcepto non communicantur.
Deniq; legiſlatio quo ad actum prudentiæ, quæ ferenda-
rum legum eſt, communitatem intrinſecè ſpectat, &
quoad honeſtatem, quam habet, vt à legiſlatore procedit
ſpecialem continet rationem virtutis à peculiari præce-
pto diſtinctam, quocirca eſſentialis differentia facilè de-
fenditur.

11 Ad 2. R. non eſſe communitatis nomen ita capiendum
in hac controuerſia, vt myſticum illud corpus ſignificet,
quod fictum, vnumq; eſt repræſentatiuè; at ſenſus eſt,
veram legem eſſe, quæ fuerit communiter propoſita, vt
ad omnes, & ſingulos pertineat. Præterquamquod neq;
12 illud inconuenit, communitati latam legem, vt commu
nitas eſt, veram cenſeri, vbi cætera omnia requiſita con-
currant, quod quandoq; fit præcipiendo, aut prohiben-
do actum, qui ab eadem communitate tantum, vt com-
munitas eſt, exerceri poſſit; licet enim communitas qua-
ſi perſona quædam ficta habeatur, ſimpliciter tamen cō-
munitas eſt, perpetuitatem habet legi requiſitam, com-
mune bonum immediatè attingit, deniq; obligantur ex
ea ſinguli, vt promulgatam communiter legem cuſto-
diant, quare, &c.

13 Ad 3. R. 1. Naturæ legem non eſſe dictamen, quod
vnicam perſonam compræhendat, & obliget, verum di-
ctamen eſſe, hoc eſt, dictaminum quaſi aggregationem,
qua plures perſonæ compræhendantur, & obligentur.
Vnde qui contra dictamen, quo ſolus ipſe compræhen-
ditur, molitur aliquid, legem totam non corrumpit, ſed
partem ipſius.

2. Omnes

2. Omnes dictamen, quo vnus obligatur, legem naturæ eſſe ex eo, quia ſi numero idem in alijs poneretur, cōcurrentibus ijſdem cauſis, conditionibus, & circumſtantijs ipſos etiam obligaret, & moraliter eſt idem numero cum dictaminibus ſimilibus, quibus alij obligantur, quare etiam vnam numero legem cum ipſis conſtituit.

*Lex in commune bonum dirigenda.* 1. 14.
*Appellatio à decreto Decurionum qualis.* 2.
*Item à decemuiris.* 3. 7.
*Item à Rep. & Populo.* 4.
*Item à Peræquatore.* 5.
*Peræquator quis.* 6.
*A certa poena delicto impoſita à l. non appellatur, & cur.* 8.
*Nec ab eo quod perpetuo edicto decernitur.* 9.
*Appellatio non eſt, niſi à ſententia.* 10.
*Aduerſus legem Euangelica denunciatio, & ſupplicatio datur.* 11.
*Lex perpetua debet eſſe.* 12. 15.
*Et communitati fertur.* 13.
*Singularis perſonæ ratio communem vtilitatem diſtruere non debet.* 14.
*Qui legem condit; poteſt Iudicia abſq; appellatione terminare* 16.
*Quod ſi hoc nequeat, præceptum condit, non legem.* 17.

1 Conſequitur ex his, ad cōmune bonum legem dirigi oportere, quod Iſid. inſinuat in d. c. erit autē lex. ibi *Nullo priuato commodo ſed pro communi Ciuium vtilitate ſit conſcripta.*

Et profectò leges communitati impoſitæ, aut commune bonum reſpiciant, aut rectum ordinem excendunt neceſſe eſt, nullaq; rectitudo in hoc eſſe poteſt, vt communis vtilitas ad priuatos vſus referri debeat, ſicut totum ad partem propter ipſam referri incongruum eſt.

Dubitatum itaq; fuit quandoq; ſit ne iuſta illa lex, quæ in detrimentum ſingularis alicuius perſonæ cedat, licet ſub generali forma lata fuerit.

At Iuriſperiti ſuppoſita validitate (nec enim defuere, qui legem illam prorſus nullitati ſubiacere cenſuerint) quærunt magis, ſit ne ab ea lege appellatio, vel ſaltem excipi de do-

lo poſſit. De vtraq; re quærendum eſt.

Quæro igitur primò, an detur ab huius modi lege appellatio, quę obtento cōmunis boni priuati alicuius damnum intendat.

Affirmant omnes, tum hic tum in c. conſuluit h. t. & de Appell. & l. omnes populi ff. de Iuſt & Iu. Ego verò nihil tam falſum in Iure exiſtimo; ſed eorum argumenta diligenter examinemus.

2 Afferunt in primis, quod Vlpia habet in l. 1. § ſolent ff. quam appell. ſit. quo loci appellatur Præſes a decreto Ordinis Decurionum.

At non probat, cum appellatio iſta à decreto, ſententiaq; ſit, non lege. Vide Gl. in l. ſi conſtet. ver. ſuperuacua. de appell. 2. l. 2. §. exactis ff. de Orig. Iur. quo loci ſummo Iu

3 re decemuiris in Ciuitate dato, vti leges corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur, ſpecialiter inductum eſt, ne ab eis prouocatio, ſicut a reliquis Magiſtratibus fieret. quod igitur his ſpeciali Iure conceſſum fuit, ne ab eorum legibus prouocatio foret, arguit ius commune contrarium l. ius ſingulare ff. de ll. Sic a Principe, & Senatu ſingulari ratione non appellatur. l. 1. ff. a quib. appell. non lic. quaſi à cæteris Legum latoribus ex Regula prouocatio extet.

At hæc Decemuirorum, Principis, Senatuſq; priuilegio ſunt, vt non modò ab eorum legibus, quod indubitatum eſt, verum ab eorum quoq; decretis, aut ſententijs prouocatio nulla ſit, vt patet d. l. 1. & t. t.

Præterquamquod non modò à ſingulari Iure malè arguitur verum etiam inde Regula colligi poteſt, vbi ferendæ legis ius eſt. inde appellandi abeſſe.

4 3. l. toties §. vlt. ff. de Pollic. *Si cui Reſp. neceſſitatem impoſuerit* (ait Vlpia.) *ſtatuarum Principi ponendarum, qui non promiſit, non neceſſe ei non eſſe obtemperare, &c.*

Sed quod neceſſe non ſit obtemperare, non efficit, vt appellatorio remedio vti poſsit; nec præterea iſtud Reſp. lege lata imperauerat, ſed peculiari præcepto, quia nec poterat dici lex, que vni ſingulariter lata fuiſſet, vt dixi.

4. l. ſi priuatus ff. qui, & à quib. vbi ſi Priuatus manumiſerit coactus à Populo, ſeruus non efficitur liber.

Sed ibi de appellatione nullum verbum; cumq; manumiſ-

ſo nulla ſit, quaſi interdicente lege facta, nullatenus appellatione opus.

5. d. l. ſi conſtet ff. de appell. *Si conſtet* ( ait Vlpia. ) *nullo actu ex l. habito duum virum creatum, ſed tantum vocibus popularium poſtulatum, eiſq; tunc Proconſulem ( quod facere non debuit ) confeſiſſe, appellatio in re aperta ſuperuacua fuit.* Quare in re minus aperta validè potuiſſet appellari.

Sed reuertimur ad primum, nam decretum electionis non eſt lex, ac proinde ab eo prouocatur, tanquā à ſententia.

5 Deniq; l. ſi grauatos C. de Cenſib. lib. 11. quo loci à Peræquatore prouocatio eſt, vt exponit Gl. 1.

At inde in primis appellatorium remedium non probatur, ſed competitionis facultas, & accuſatio, vt ibi, nec mihi

6 expoſitio Gl. probatur. Pręterea à decreto appellatio eſt, non à lege, ſi vſpiam eſt, quia Peræquatores legis condendæ facultatem non habebant, & fortaſsè nec Iuriſdictionem, vt cenſuit Coſc. hic 2. p. num. 46. Erant autem Exactores cenſuum capitationis, ita appellati. quod ab omnibus peræque exigerent. Alciat. l. cum antea C. de Agric. & Cenſ. lib. 11. Cuiac. Rub. C. de Cenſ. & Cenſit. eod. lib.

Noſtra ſententia ſolidiora habet fundamenta. Et in primis

7 nititur auth. Pomp. in d. §. exactis; quippe nō alia ex cauſa prohibitum fuerat à decemuiris appellare, niſi quia ſtatuendæ legis facultatem habebant.

8 2. Quod habetur l. ſi qua pœna ff. de verb. ſignif. &c. quia nos de appell. non poſſe à certa pœna, quam lex ratione criminis iniungat, prouocari. Ratio ex Bero. hic num. 34. quia punitus videretur magis de iniquitate legis conqueri, quam Iudicis lege præfinitam pœnam infligentis, quod abſonum, lex enim quamuis dura ſeruanda eſt, l. proſpexit ff. qui, & a quibus c. in memoriam 19. diſt.

3. Ex l. vlt. ff. de appell. recip. qua non licet ab eo appel-

9 lare, quod perpetuo edicto decernitur. ſcilicet interdicta

10 appellatione a l.

Adducuntur rationes 1. quia nō eſt appell. abſq; ſententia. l. 1. §. 1. ff. de appell. ad hoc .n. inuenta appell. eſt, vt iudican-

11 tium iniquitates per eam comprimantur. Aduerſus leg. ſupplicatio valet; item ( quod not. ) Euang. Denunciatio

vbi .n. in lege,aut ſtatuto iniquitas eſt,potes in ſubſidium adire Eccleſiam, non quaſi ex denegata Iuſtitia à ſtatuto, ſed quaſi ex iniquitate ſtatuti,& contra aduerſarium quaſi in dolo, & peccato exiſtentem per Euangelicam denunciationem procedere. Quæ maximi ponderis cautela eſt inter cæteras Bar. Cæpol. 227. qua cuiuſq; Principis iniqua lex facile cauſa cognita reſcinditur.

12 2. Quia lex debet eſſe perpetua l. falſo C. de diuer. reſer. Suar. de ll. lib. 1. c. 10 Salas ibid. quæſt. 90. diſp. 1. Sect. 9. num. 60. & ſeq; At quoties appellatione ſuſpenditur, profectò non poteſt cenſeri perpetua.

Huic ſententiæ adhęrendum nobis omnino eſt, & remouenda à lege uppellatio, cum tamen cætera opportuniora remedia non denegemus, neq; enim legumlatorum iniquitates fouendæ ſunt. Vel enim lex ad ſingularem perſonam dirigitur, & in eam fertur nominatim, & ſpecialiter, vel intuitu ſingularis perſonæ forma generali
13 conditur. Si primum dixeris, lex non valet, de cuius rationes eſt, vt communitati feratur, niſi fortè ex eo valere dixeris, quod virtute obliget plurimos, vt dictum eſt; tunc enim generalis erit, & apud me non poterit appellatione ſuſpendi. Si ſecundum, multò minus prouocabitur ab ea, neq; enim Theologi, qui de hac re differentes rectius cuncta dijudicant, morantur ineptum illud philoſophantium legiſtarum, legem hanc non cenſeri generalem, quia vnius ſpeciei genus pro ſpecie habeatur, non pro genere l. 1. & 2. vbi Scrib. ff. de lib. & poſth. ſupponimus enim generatim condi legem, quæ priuatum neminem expreſſe afficiat, ſed omnes tangat, legiſq; omnes habeat conditiones, & requiſita; de quibus d. c. erit autem lex. & vide Suar. libl 1. de ll. c. 6. 7. 8. 10. ibid. Salaſ. quæſt. 90. diſp. 1. ſect. 7. 8. 9.

Illud pręterea adiunges, adhuc in duplici capite rem conſtitui. Aut enim lex, quæ priuati alicuius odium claudit, in commnne bonum vergit, aut ei repugnat. Primo
14 capite lex non poterit impugnari, ne ſingularis perſonæ ratio communem vtilitatem deſtruat. Secundo capite erit ſuperflua omnis prouocatio, quia iniuſta lex eſt, nec tenet, quæ in commune bonum non dirigatur d. c. erit autem lex.

Duo

Duo tandem conſequuntur abſurda. Alterum, perpetuam
15 ſui natura legem appellatione ſuſpendi, vt diximus; alterum, pendere legem à poteſtate appellantis, & appellati ſimul, quare communis opinio non ſubſtinetur vllo modo.

Quod ſi legis Conditorem ſpectemus, illud certò ſtatuendum, non quamlibet Iuriſdictionis poteſtatem ferendis legibus ſufficere, ſi tamen Iuriſdictionis eſt ferre leges, quod noſtrorum plurimi controuertunt. Vide Suar. de ll. lib. 3. c. 9. num. 2. a quo percipere eſt, eum, qui legiſlatiuam habeat poteſtatem, ſit Princeps, aut Magiſtratus, illud habere ſimul, vt abſq; vlla appellatione poſſit iudicia terminare, ferreq; ſententias, quæ fuit ratio, quare à decemuiris, & à Senatu non licuerit prouocare d. l. 2. §. exactis d. l. 1. ff. a quibus appell. non lic.

17 Quod ſi Magiſtratus aliqui ſint, qui leges aliquas condere videantur, cum tamen ab eorum ſententijs prouocatio aliqua conſueuerit eſſe, dixerim, non eſſe leges, quas condant, ſed præcepta aliqua populis impoſita, quæ vnà cum ipſis, eorumq; Iuriſdictione expirent. Vide Salas cum alleg. de ll. queſt. 95 tra. 14. diſp. 7. Sect. 13.

*Exceptio nulla aduerſus legem.* 1.
*Lex ſtatim ligat, & cogit.* 2.
*Explicatur Paul. in l. 1. in fi. ff. de do exc.* 3.

IN 2. quæſt. An competat doli exceptio, quando lex ſub ſpecie communis boni priuati hominis detrimentum quærit; quaſi expeditum ſit dari exceptionem, proponit difficultates aliquas, ſoluitq. Boſch. Cod. num. 97.

1 Ego verò non minus exceptionem negauerim, quam
appellationem; nam præterquamquod nullo Iure probatur exceptio, ratione etiam refellitur, namq; à Iuriſdictio-
2 ne, & vi coactiua proficiſcitur lex, vnde ſtatim ligat, & co
git, neq; ex aduerſo vim aliquam defenſionis pertimeſcere poteſt.

Adducunt verò omnes Paul. reſponſum in l. 1. in fi. ff. de do. excep. h. v. *Et quidem dolo fit, tam in contractibus, quam in teſtamentis, quam in legibus.* Ergo (inquiunt) aduerſus leges de dolo excipitur.

3 At ſententia Pauli diuerſa eſt, voluit enim excipi aduerſus illum poſſe, qui dolore circa leges verſetur, vt; ſi hæres ſcriptus in fraudem legis Iuliæ,& Papiæ tacitam accommodauerit reſtituendæ hæreditatis, legatiue prꝑſtandi ei, qui capere non poteſt voluntatem. Item, ſi quis interpretationem legum circumueniat. l. in fidei ff. de Iuſi. Vel, ſi quis leges calumnietur, verbaq; earum captet l. pen. ff. ad exhib. Ita exponit Cuiac. in fine; quod neceſſarium eſt, vt, quod de legibus dicitur, reſpondeat ei, quod de contractibus, & teſtamentis præmittitur.


*Conſtitutio, quaſi ſimul ſtatuitio.* 1.
*Imperator, & Pontifex qua forma legem ſtatuant.* 2.
*Legiſlatiua poteſtas eſt in ſupremo capite, vnde profluit ad cæteros.* 3.
*Denominatio ab eo etiam ſumitur, quod rectum, honeſtumq; eſt fieri.* 4.
*Princeps laicus non tenetur cum Proceribus legem condere.* 5.
*Vbi pluribus poteſtas datur, an & quando alter abſq; altero exerceat.* 6.
*Epiſcopi Apoſtolorum loco ſucceſſere.* ibid.
*Cardinalium adſiſtentia an diuini Iuris.* 7.
*Eccleſiæ Senatus.* 8. 33.
*Pragmatica Sanctio, ſeu conſiſtorialis detrminatio quando locum habeat.* 9.
*Stylus, & conſuetudo Curiæ inducunt ius.* 10.
*Quaſi poſſeſſio ſufficit, donec contrarium probetur.* 11.
*Cardinales in arduis Conditores Pontifici.* 12. 36.
*Quod inhoneſtum, illud item impoſſibile.* 13. 37.
*Petrus eorum caput, quibus ligandi, ſoluendiq; poteſtas tradita.* 14.
*Generali poteſtate Vicario demandata, non includuntur ardua* 15.
*Pontifex quæ poſſit, aut non, in conſultis Card.* 16. 22. 40.
*Petrus ſingulari modo ligandi, ſoluendiq; poteſtatem obtinuit.* 17. 39.
*Pontifex ex honeſtate conſulit Cardinales.* 18.
*Pontifici, & Imperatori quæ habenda fides in cauſa propria.* 17.
*Pontifex Chriſti Vicarius.* 20.
*Vicarij, & conſtituentis par authoritas.* ibid.


*Eccle-*

*Eccleſia militans inſtar triumphantis.* 21.
*Cardinalium nulla poteſtas a Iure diuino.* 23.
*Petri, & cæterorum poteſtas varia.* 24.
*Apoſtoli quomodo pares dicantur.* 25.
*Præeminentia Petri, & ratio eiuſdem.* 26.
*Apoſtolica ſedes quæ.* 27.
*Cardinalium dignitas vnde.* 28.
*Pontifex Iura peruertere poteſt.* 29.
*Humilitas in Pontifice.* 30.
*Cur inter ſe Apoſtoli contulerint Euangelica.* 31.
*Explicatur Deutor. difficilis locus.* 32.
*Princeps ſua lege non obligatur.* 34.
*Nec ſtylo, aut conſuetudine.* 35.
*Inter id, quod decet, & dedecet medium datur.* 38.
*Verba illa. Sacro approbante Concilio in Pontificio corpore ratiora, & cur.* 41.
*Pontifex an Succeſſorem liget.* 42.
*Paulus reſiſtit Petro, & quomodo.* 43.
*Eccleſiæ ſtatum Pontifici perturbare nullo modo licet.* 44.
*Cardinalium an ſit conſilium, vel magis adſenſus.* 45.

1 SEcundam rationem Ethym. habet idem Abb. num 2.
vt conſtitutio dicatur, quaſi ſimul ſtatuitio, a *con* .i. *ſi-*
2 *mul.* nam Princeps cum Procerum conſilio legem ſtatuit.
l. humanum C. de ll. & ſummus Pont. cum Collegio Cardinaliũ c. per Venerabilem §. rationibus. Qui fil. ſint legit.

Opp. Dec. num. 6. non teneri Principem cum Procerum conſilio legem condere cum ſolus hoc faciat. l. 1. ff. de Conſt. Princ. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. Nat. l. vlt. C. de ll. neq; ei forma vlla præſcribatur, ſicut nec Prefecto Prætorio. l. formam C. de off. Præf. Præt. Neq; legato de latere, nedum Pontifici c. fin. de off. leg. c. 1. de loca. Quod ſi forte Princeps teneatur, ſubdit, ſoli Principi adſcribi legem conditam, non Proceribus. d. l. humanum. ibi *Noſtræ Serenitatis autboritate firmetur.* l. 1. §. omnia C. de Vet. Iu. enucl. ibi. *Omnia noſtra facimus &c.*

Forma verò, quam Theod. præfiniuit in d. l. humanum, ab humanitate, & benignitate eſt; neq; enim ſibi, aut Succeſſoribus neceſſitatem legis potuit inponere. arg. l. ſi quis in principio ff. de leg. 3. l. Princeps ff. de ll. l. digna vox. C. eod.

C. eod. c. iuſtum. 9. diſt.

3 Hæc ratione confirmantur;namq; in Legiſlatore requiritur ſuprema poteſtas in eo ordine, quæ non niſi in ſupremo capite eſſe poteſt,vel in infinitum progediamur neceſſe eſt. Ita in qualibet communitate poteſtas aliqua eſt in eo ordine ſuprema. vt in Eccleſia Pontifex, in Regno temporali Rex, in Repub. quæ Ariſtocraticè gubernatur, tota Reſp. neq; enim corpus aliquod ſine capite, niſi fortè monſtruoſum, aut mutilum eſſe poteſt,& in eo capite tota reſidet, atq; integra poteſtas condendarum legum. In ſubordinatis verò,atq; inferioribus Principibus tanta eſt, quanta fuerit communicata à capite, quod ex conſuetudinibus, legibus, & Priuilegijs pro cuiuſq; munere intelligendum.

Fluctuat igitur noua hæc Ethym. ratio. Sed occurrunt plurimj; etenim, ſi Princeps non tenetur cum Procerum cõſilio legem ſtatuere, honeſtum ſaltem, humanumq; eſt

4 ita facere; Atqui denominatio ab eo etiam ſumi poteſt, quod rectum honeſtumq; eſt fieri. Gl. in proemi. Inſtit. verſ. ſemper Auguſtus. Quod ſi fortè teneatur Princeps, licet ei ſoli adſcribatur lex,vt facta eſt,vt tamen ſit,etiam conſilio Procerum tribui poteſt, neq; inconuenit ab actu condendæ legis appellationem ſumi.

5 At non teneri Principem certum eſt Iure Ciuili. Dubium verò Pontificio Iure, debeat ne S. Pontif. cum Cardinal. condere legem cæteraq; ardua pertractare, ita, vt ſolus nequeat.

Prima opin. negat, Summum Pontif. poſſe in conſultis Cardinal. ardua expedire, Innoc. cap. per venerabilem §. rationibus, verſ. ſi difficile. Qui ſil. ſint legit. Bal. in l. cum multa num. 2. C. de bon. quæ lib. cum alleg. Ripa cum alleg. num. 20. Affl. deciſ. 289. num. 15. vbi de comm.

Probatur primò Iuribus,deinde rationibus, demum enumeratione eorum, quæ inter ardua recenſentur.

Iuribus diuinis, & humani.

Et 1. Ex Euangel. Math. 18. & Io. 20. Quo loci Chriſtus coexiſtentibus Apoſtolis ſic loquitur. *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata erunt remiſſa*, &c. Omnibus itaq; Apoſtolis præſente Petro Cœleſtis, terreniq; Imperij cura demandatur. Quocirca ſic argue. Aut omnibus

6 nibus committitur, vt Collegio, & tunc ſimul apud omnes eſt huiuſmodi poteſtas, licet Petrus ſit omnium caput, quare omnes conuocandi ſunt. Aut omnibus, vt ſingulis, & tunc, vel ſimul omnibus, vel cuilibet in ſolidum Primo caſu alter abſq; altero non exercet l. fin. C. de Au thi: præſt. l. duo ex tribus ff. de re Iud. c. prudentiam, & c. cauſam de off. de leg. Secundo Caſu poterit quilibet eandem authoritatem exercere. quare omnes, ſinguliq; Epiſcopi, qui loco Apoſtolorum ſucceſſerunt cap. in nouo 21. diſtinct. habebunt eandem poteſtatem, quam Pontifex habet, poteruntq; ſoli, vel vna cum alijs Epiſcopis cuncta, licet ardua, expedire, quod abſonum eſt.

In eandem ſententiam trahitur, quod ſuborta inter Apoſtolos contentione de primatu, reſpondit Chriſtus Lucæ 22. *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Quaſi, qui primatum ambit, debeat in medio Apoſtolorum, hoc eſt Cardinalium, atq; Epiſcoporum ea, quæ ſunt ardua, & difficilia miniſtrare. Et Paul. 2. ad Galat. coactus fuit cũ cæteris Apoſtolis conferre Euangelium.

Accedit locus Deuter. 2. ibi *Si aliquid difficile, & ambiguum emerſerit, veniet ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudi-*
7 *cem, qui fuerit illo tempore, iudicabunt tibi iudicij veritatem.* Quo probatur, Cardinalium adſiſtentiam iuris diuini eſſe nam loco Sacerdotum Leuiticorum ſucceſſerunt Cardinales d. c. per Venerabilem 6. rationibus:

2. Prob. ex c. Anaſthaſius 19. diſt. Vbi Anaſtaſius Papa diuino numine dicitur fuiſſe percuſſus, quod ſine conſilio Epiſcoporum, & præsbiterorum Achatium hæreticum cõmunicauerit Eccleſiæ. Et ſolutionem, quam Gloſator habet, confundit Ripa num. 19.

8 3. Ex cap. Eccleſia 16. quæſt. 1. Vbi Eccleſia Senatum habere dicitur cœtum Præsbiterorum, qui in arduis conſulendi ſunt.

9 4. Ex ratione l. vlt. C. de diu. reſer. qua (authore Bal. num. 1.) probatur, pragmaticam Sanctionem, ſeu Conſiſtorialem determinationem non habere locum in cauſis ſingulorum, ſed in arduis cauſis vniuerſitatũ, aut Corporũ, quod ipſum Peruſinis Oratoribus reſpondiſſe Vrbanum Pont. refert, nec non in Lucana Ciuitate Carol. Imp. Iuribus adde ſcriben. dicta de quibus Boſ. Cod. num. 69. & 70.

Nunc

Nunc rationibus probatur. Et prima ratio petitur à conſue-
tis, quippe ſcilicet Pontifex conſueuit in arduis adhibere
conſilium ſuorum Cardinalium, vt oſtendunt Iura infe-
10 rius adducenda. Stylus autem, & conſuetudo Curiæ cō-
ſtituunt Ius c. quam genui de crim. fal. c. ex literis de
11 Conſt. quibus fauet quaſi poſſeſſio Cardinalium, quę ſuf-
ficit, donec contrarium probetur c. cum Eccleſia c. cum
dilectus de cau. poſſeſſ. & propr.

2. Quia ſaltem in arduis negocijs Summo Pont. Cardi-
12 nales coadiutores dantur d. c. per venerabilem, verſic.
ſunt autem Sacerdotes, cum ſimil. Igitur nihil arduum
poteſt abſq; eis Pont. all. c. 1. non autem, & c. petijſti 7.
quęſt. 1.

3. Quia Pontifex aut vi compellitur, aut honeſtate, vt
Cardinalium ſuorum cœtum conſulat. Si vi, obtinet opi-
nio, quæ negat, ſi honeſtate, vt c. fundamenta §. decet de
Elect. in 6. indecens erit, atq; inhoneſtum inconſultis Car-
dinalibus arduum aliquod conſtituere. At quod inhone-
13 ſtum eſt, illud iure, & apud Theol. impoſſibile eſt. Car-
din. c. perpendimus de Sent. excomm.

4. Quia Petrus quaſi caput eorum eſt, quibus ligandi, ſol-
14 uendiq; poteſtas tradita. Cum ijſdem igitur, quæ ardua
ſunt, communicare compellitur, ne ſit quaſi caput, & non
caput, vel ſine membris c. non decet 12. diſtinct.

5. Quoniam aliàs conſequeretur, Pontificem abſq; ra-
tionabili cauſa omnia poſſe, & non quaſi Paſtorem, con-
tra c. ſi Papa 40. diſt. vel omnia poſſe etiam imminente
graui ſcandalo inter Cardinales, quod abſonum.

15 Addunt alij ex generali poteſtate demandata non tran-
ſire ardua in Vicarium c. 2. & 3. de off. Vic. in 6. At ſcili-
cet Pont. Chriſti Vicarius eſt, c. quanto de tranſlat. Epiſc.
Quare, &c.

16 Demum comprobatur exemplis. Et in primis non po-
teſt Summus Pont. abſq; conſilio Cardinalium ſuper re-
bus dubijs Catholicam fidem concernentibus aliquid ſta-
tuere d. c. Anaſthaſius cum Gl. c. ſicut cum Gl. vlt. 15.
diſt. quod hæc ardua ſint c. maiores de Baptiſ.
Sic reſignare Pontificatum inter ardua eſt, c. 1. de Renunc.
in 6. atq; idcirco opus eſt conſilio Cardinalium reſignan-
ti Pontifici, neq; conſilio tantum, verum etiam adſenſu,

d. c.

d. c. 1. Clemens autem, qui ſine cœtu præsbiterorum renunciaſſe dicitur, ad uitandum ſcandalum, prauumq; exemplum potuit, Gl. c. 1. verſ. aut ligandi, 8. q. 1.

Eadem ratione non poteſt abſq; conſilio Card. ſubijcere ſe ſcilicet Pont. vt ab alio iudicetur, aut deponatur, Gl. c. in Synodo verſ. Apoſtolicam, 63. diſtinct. alleg. tex. in cap nos ſi 2. quæſt. 7. Sunt enim hæc maximi Ponderis, d. c. ſi Papa, c. nemo, c. aliorum, c. cuncta per mundum 9. quæſt. 3.

Item Cardinales deponere, creare, atq; excommunicare, quod grauiora hæc ſint, non poteſt abſq: conſilio, c. 1. de Schiſm. in 6. c. 2. de Cler. non reſid. vbi Hoſt. cum not. per Repet. hic. Nec ſolus Imperatorem deponere, aut Imperium transferre, all. cap. ad Apoſtolicæ de re Iud. in 6. Aut in ſanctorum numerum referre. Aut prętioſa Ecclesiæ bona alienare, quod ſit maxime arduum, cap. non licet Papæ 12. quæſt. 2. c. cum Redemptor ibid. a ſpeciali. Aut formam præfinire, qua futurus Pontifex eligatur vel inde Simoniæ labes excludatur, c. vbi periculum de Elect. in 6. & quod habètur Extrau. Iul. 2. quam ſcrib. adducunt hic. Aut conſtituere pęnas, quibus inſectatores, aut occiſores Cardinalium abſterreantur c. felicis de Pœnit. in 6. Aut deniq; aliud facere, quo vniuerſæ Eccleſiæ Status perturbari poſſit.

At contraria ſententia magis obtinuit. de comm. Ripa num. 14. dec. num. 6. Rimin. num. 76. Seq; Milia. cum alleg. 3. p. num. 17. Suar. cum all. de ll. lib. 4. c. 3. num. 14. & ſeq; Sal. cum all. quæſt. 95. tr. 14. diſp. 8. Sect. 3 n. 23.

17 Probatur ordine, quo ſuperior. Et primo Iure Diuino Euangel. quo Petro ſingulari quodam modo ligandi, ſoluendiq; poteſtas tradita fuit c. 1. 20. diſt. c. quodcunq; ligaueris 24. quæſt. 1. diuinaq; illa promiſſio fundandæ in ipſo Eccleſiæ impleta eſt Iu. 21. *Paſce oues meas.* Vide tex. c. in nouo 21. diſt. & quæ dicam infra.

Iure etiam Pontif. probatur ex c. cuncta per mundum 9. quæſt. 3. ibi. *Quod Apoſtolica Sedes ſine vlla Synodo precedente, & ſoluendi, quos Synodus ipſa damnauerat, & damnandi nulla exiſtente Synodo quos oportuit, habuit facultatem, etbor nimirum pro ſuo principatu, quem Beatus Petrus Apoſt. Domini voce, & tenuit ſemper, & tenebit.*

Ad-

Adducuntur pleraq; alia, quæ vix probant, c. patet, & c. Epiſcopo ibid. & plura in 21. & 22.diſt. & tex. in c. grandi de ſuppl. neglig. prælat. in 6. cum Gl. ver. *Regis.* in d. c. 1. ver. *liberè*, de renun. in 6. in c. 2. de Præben. in 6. in c. ſignificaſti in fi. de Elect. in c. ad honorem, de auth. & vſu pall. in Clem. 1. ad fi. ibi *plena*, *& libera diſpoſitio*, vt li. pend. cum ſim. Quibus volunt poteſtatis plenitudinem comprobari.

18 At nulla vi quidem, ſed honeſtate tantum adduci Pontificem, vt Cardinalium ſuorum in arduis conſilium expoſcat, apertè liquet ex d. c. fundamenta §. decet de Elect. in 6. *Decet* interpretantur alij .i. *oportet*, vt ſim. Gl. in l. fin. ver. *decet* C. de capt. & poſth. reu. Sed malè vtrobiq; neq; enim temere à verborum proprietate recedendum eſt; Et ſequentia verba reſpondent noſtræ ſententiæ. *Quin cum per ipſum Romanum Pontificem in quibuſcunq; negocijs contingeret eorum peti conſilia.* Quod ait *contingeret* neceſſitatem omnem amouet ex Gloſatore. Et quod generaliter dicit *quibuſcunq; negocijs* ſignificat, nullo habito diſcrimine inter ardua, vel minus ardua vſu venire, vt non inuitus S. P. Cardinales conſulat, quare, &c.

19 At impio ore dicunt aliqui, non eſſe hæc Pontificijs legibus credenda, quia nemo Iudex in propria cauſa c. 1. 4. quæſt. 4. & C. ne quis in ſua cau. per t. t.

Alij contra afferunt Papæ, atq; ImPeratori fidem habẽdam, quod ipſi in propria cauſa ſint Iudices L. & hoc Tyberius ff. de hæred. inſt. Abb. recep. in c. cum veniſſent n. 6. poſt Gl. de Iudic. nec meror ego controuerſiam huiuſmodi, etenim ſi contraria quoq; ſententia Iuribus Pontificijs inter cætera maximè nititur, ex his vtrobiq; dijudicanda erit veritas quæſtionis.

20 Iunguntur rationes; Et in primis, quod .ſ. Pont. eſt Chriſti Vicarius c. quãto de transl. Epiſc. c. quos Deus 33. q. 2. At Vicarij, & Conſtituentis æqualis eſt authoritas c. 1. 2. & 3. de off. Vic. in 6. ergo in omnibus etiam arduis integra, abſoluta, independens à cuiuſq; conſilio, vel adſenſu, talis enim profluit immediatè à Deo, vt nulli poſitiuæ legi aut ſubiecta ſit, aut ſubijcibilis vllo modò per Iuramentum, aut quoduis aliud vinculũ. Vide Bero. n. 60. & ſeq.

21 Confirmant; quod cum Eccleſia militans triumphan-

tis

tis inſtar ſit, vt in triũphanti vnus eſt Deus, qui independẽter omnia poteſt ſuiq; abſolutè parẽt omnia, ita vnus Põt. in militanti omnino independens, neq; Chriſtus vſpiam ab Apoſtolis conſil. petijſſe noſcitur in arduis. Quare, &c.

22 . Accedo nunc ad exẽpla. Et primò legis ſtatuitio in magnis etiam, arduiſq; rebus Iuriſdictionis eſſe cenſetur, & conſequenter poſitiui Iuris, in quo .S. Pontif. plenam, liberam, abſolutamq; poteſtatem habere dicitur c. propo ſuit de Conceſſ. præb. c. 2. de Præben. in 6. Clem. 1. vt lite pend. & ſim. Cur. igitur nõ poterit .S. Pont. ardua ſolus pertractare, ſi de rebus arduis ſolus lege diſponat?

Hic Interpr. ſuperiora exẽpla retorquent; Nã creare Card. ſolus Pont. abſq; conſ. poteſt de comm. Bero. n. 56. & deponere eoſdem Gl. 1. cũ Innoc. in c. 2. de Cler. non reſid.

Item abijcere Imper. atq; excomm. c. alius 15. q. 6. c. duo ſunt 96. diſt. & transferre Imp. all. c. venerab. de Elect.

His additur Epiſcopi, atq; Monachi depoſitio, quæ inter ardua connumerari ſolent, vt quæ vrgentiſſimas, grauiſſimaſq; cauſas exigunt; & ſi quæ alia.

Vtranq; partem Ripa conciliat n. 20. *S*ed malè, ex Rimin. n. 78. & Milia. 3. p. n. 18.

Ego indiſtinctè exiſtimarim, hac obligatione ſolutum eſſe Pont. vt Card. ſuorum conſil. quærat, quia, vel apud Cardinales eſt legislatiua aliqua poteſtas, vel non. Primo caſu, vel illa poteſtas à Iure Diuino eſt, vel ab humano, vel

23 à cõſuetudine, de qua mox dicemus. A Iure diuino profecto non eſt; quæq; à Petro, cæteriſq; Apoſtolis argumẽta ducuntur, omninò concidunt. Verum quidem eſt, legislatiuam poteſtatem ſimul Petro, cæteriſq; Apoſt. fuiſſe conceſſam, quam probant verba illa. Quæcunq; alligaueritis, &c. & quod ſcribitur in c. in nouo 21. diſt. & c. loquitur dominus 24. q. 1. & c. noua de Pœnit. & remiſſ. &c. per vener. qui fel. ſint legit. & quidem conceſſam in ſolid. cuiq; eorũ, erant .n. per vniuerſum mund. diſpergendi cum poteſtate plantandi Eccleſias creandi Epiſcop. ordinandi, ac præcipiendi omnia, quæ neceſſaria forent, quibus fuit dictum. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Et rurſus. *Euntes in Mundum* vniuerſum, &c. At duo conſideranda ſunt. Primum eſt in Petro eandem poteſtatem fuiſſe abſolutam, atq; independentem tanquã

in capite, in cæteris vero dependentem a Petro quaſi in membris, dd. Iur. Nam ſoli Petro fuerunt promiſſæ claues, & impleta promiſſio, cum dictum fuit, *Paſce oues meas*, & ipſe conſtitutus Petra, ſuper qua ædificaretur Eccleſia Chriſti.

25 E quoties legimus, Apoſtolos fuiſſe pares, intelligere debemus quoad dignitatem Apoſtolatus, atq; extenſionẽ Iuriſdictionis in reliquas Eccleſiæ partes, non autem abſolutè, quia dignitas Pontificatus fuit propria Petri, ſoluſq;
26 ille excelluit in ea, nec cæterorum Apoſtolorum leges ad vniuerſam Eccleſiam, niſi ſciente, & approbante Petro tranſmiſſe fuere; & cum Petrus omnes ſua lege obligare poſſet, illi tamen nec Petrum, neq; ſi inuicem ſuis legibus poterant adſtringere. Et profecto ſic decuerat perfectiſſimum Regimen, quale Monarchicum eſt, ad quod fuit Petrus altiſſima prędeſtinatione electus, ac poſt modum tempore adſumptus.

2. Conſiderandum eſt, ita Petro fuiſſe datam poteſtatem, vt vni ipſi ſuccederetur in ea, perpetuoq; maneret in Eccleſia, cæteris vero Apoſtolis per modum cuiuſdam legationis, perſonaliſq; muneris cum eorum vita deſituri; vnde Paul. *Pro Chriſto* (ait) *legatione fungimur.* fuerunt quippe cum ampliſſima Iuriſdictione initio tantum naſcentis Eccleſiæ neceſſarij, atq; ideo, ſatis conſtituta Eccleſia, ceſſauit eorũ dignitas, perſeuerauitq; Petri Principatus, atq; Primatus ſingulari illo modo traditus. *Paſce oues meas*, factuſq; æternus per hæc ver. *Super hanc petram, &c. & portæ inferi. &c.* Vide cap. 1. de homicid. Ita Apoſtoli non crearunt Apoſtolos, ſed Epiſcopos, neq; eis ſucceſſio aliqua facta eſt cum Iuriſdictione in vniuerſum orbem. At Petro vniuerſali Paſtor continuo ſucceſſit, cuius idcirco
27 Sedes ſemper *Apoſtolicæ* nomen retinuit; quo magis aperitur eorum error, qui Apoſtolicam Sedem ex Pontifice, & Cardinalibus conſtare exiſtimarunt. Vide tex. in d. c. cuncta per mundum. 9. quæſt. 3.

Quodnam igitur erit argumentum, quod à Petro, cæteriſq; Apoſtolis hic deduxiſſe liceat Iure diuino inſpecto? Præterquamquod illud nouimus, Apoſtolorum loco ſucceſ-
28 ſiſſe Epiſcopos; d. c. in nouo 21. diſtinct. neq; Cardinalium dignitatem ſatis antiquam eſſe, quos primum à Syl

ueſtro

ueſtro fuiſſe inſtitutos credunt,neq; immutabil:m,vt quę poſitiua eſt fortaſsè, licet multi à Iure diuino eſſe contendat,quod ipſi dijudicent. de his hominibus latiſsimè Suar. de ll. lib. 4. cap. 3. num. 7. & ſeq. Salas de ll. quæſt. 95. tract. 14. diſp. 8. Sect. 3. num. 19.& ſeq.

Quod ſi dixerit quis, legislatiuam hanc poteſtatem à Iure
29 humano eſſe, profectò à Pontifice erit, qui poteſt iura
peruertere. Sed non probatur.

Cæterum, ſi legislatiuam poteſtatem Cardinalibus neget quis, ut Summo Pontifici onus imponat huiuſmodi, vt eos conuocare teneatur in arduis,adhuc ſupereſt, quo iure Pontifex compellatur, quoque eius poteſtas adeò limitetur, quæ ex ſolutionibus contrariorum integra,atq; independens, ni fallor, apparebit.

Ex his arg. 1, ex iure diuino ſublatum eſt, tradita enim fuit poteſtas omnibus Apoſtolis, & quidem in ſolidum, & diuiſim, ſed vnà cum illis expirauit.

30 Cæterum,quod additur Lucæ 22. *Ego in medio veſtrum ſum, &c.* aliud nihil præſeferre videtur, quam humilitatem, quæ maxima in Pontifice eſſe debet, qui in Primatu eſt, vt ſe quaſi humilem miniſtrum proferat in medio Eccleſiæ. Iſthæc vero humilitas Pontificiæ poteſtati magis ſuffragatur, quam refragetur, quaſi præcipua virtus in Eccleſia Dei.

31 Paul. autem 2. ad Galat. cum cæteris Euangelium cōtulit ex diuina reuelatione, vt ipſe teſtatur, decebat quippe ità facere ad rationem exempli, vnionis,& ſubordinationis ad Petrum, cum quo etiam contulit ſimul. Cæterum non deerat ei poteſtas, neq; erat ei vllatenus hoc neceſſarium, ne erraret, habebat enim infallibilem adſiſtentiam Spiritus Sancti. Sic Act. 15. coacti ſunt in vnum Apoſtoli ad ſtatuendum de legalibus,nec tamen fuit iſtud ad vſum Iuriſdictionis neceſſarium, ſed vt fidelibus ſatius fieret, & maximæ Iudæis.

32 Locus autem deut. quoſdam valdè exagitauit,mihi verò negocium nullum facit. Quidam ex honeſtate interpretantur. Alij ſic. *Venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem,* hoc eſt, *Venies ad Epiſcopos, & Pontificem*. Quaſi dicat, Venies ad Epiſcopos vbi non eſt copia Pontificis, atq; ita ad Epiſcopos in proprijs locis, & Diœceſibus. Alij interpre-

reſſe credunt, an de arduis,& ambiguis ſimul loquamur, & concedunt, vt nos; an de arduis tantum, & negant, vt in quæſt. noſtra.
Exiſtimaui quandoq; iuberi eum, qui ambiguum aliquod, aut difficile habeat, adire leuitici generis Sacerdotes cum Iudice; non tamen iuberi Iudicem, vt eos conuocet inuitos, vel inuitos eos Iudici adſiſtere oportere, neq; enim ( ſi eorum adſiſtentia diuino iuri adſcribatur ) illud continuò dicendum, neceſſariò conuocandos à Pontifice, quippe hoc rurſus Diuino Iure non præcipitur, neq; omnia diuina Iura præceptum continent, aut præcisè cogunt.
Melius Suar. d. c. 3. num. 15. eo loci nihil aliud probari intelligit, quam Pontifices in lege gratiæ ad imitationem legis veteris inſtituiſſe conſilium Cardinalium. Quare non ſequitur, aliquid à Iure diuino eſſe, ſicut etiam poteſtas, quam habent eligendi Pontificem ab ipſo Pontifice eſt, non à diuino Iure, quicquid ſit de dignitate, hoc enim controuerſum eſt.
Ad 2. de c. Anaſthaſius R. in primis tex. illũ Apocriphum eſſe, prout in Cod. Gregoriano notatur; ideq; monet Suar. d. num. 15. Qui etiam reſp. vt ego aliàs, nõ eſſe quæſtionem in eo cap. de vſu poteſtatis, ſed magis de communicatione cum hæreticis, ob quam ex cauſa prauæ ſuſpicionis, & ſcandali fuit Anaſthaſius diuino nutu percuſſus. Aliter ſoluit Milia. 3. p. Rub. num. 21. Sed in fabuloſa hiſtoria fruſtra labor omnis.
33 Ad 3. R. inde ſolum probari, omne Monaſteriũ ſuum habere capitulum, ſine quo non liceat Abbati aliquid ſtatuere, quod poteſtas penè capit. ſit. Cæterum in Romana Eccleſia poteſtas in ſolo Pontifice reſidet. d. c. ſignificaſti de Elect. cum Simil.
Nec refragantur verba vltima. *Et nos habemus Senatum noſtrum coetum preſbiterorum* qui eſt quaſi inſtar Romani Senatus, in quo poteſtas omnis manebat; neq; enim de vniuerſali cœtu Eccleſiæ accipienda ſunt, ſed magis de Monachorum Capitulo, ſine quo nihil poteſt Abbas, vt dixi; Et profectò aliud quicquam exiſtimari non poſſet de verbis non quidem à Pontifice prolatis, ſed à Monaco. Quod ſi ſecus intelligas, conſequatur ex argumento inde du-

ducto, Pontificem nihil omninò poſſe abſq; conſilio Cardinalium arduum, vel non arduum.
34 Ad 4. ex l. vlt. C. de diuerſ. reſer. R. vel nihil probari ex ea, vel non adſtringi ea lege Principem, qui legibus viuere vult, non vi ſubijci l. digna vox C. de ll. cum potiſſimum ibi Imper. ſimpliciter enarret, nec ſe adſtringat ad aliquid. Quod autem Vrba. & Caro. reſpondere, laudabile fuit ex decentia, & honeſtate, cæterum nulla vi, aut neceſſitate coactum.
35 Ad 1. rationem R. non valere in eo, qui nullò ſtylo, conſuetudine, aut præſcriptione adſtringi poſſit, qualis ob ſupremam poteſtatem eſt Pontifex. Vide ſcripta ad c. quanto de Conſue. c. bonæ 2. de Poſtul. Præl. Neq; enim aduerſus ius diuinum, quo Pontifici abſoluta, libera, atq; independens poteſtas traditur conſuetudo vlla poteſt, aut præſcriptio; præterquamquod ſemper conſuetudo omnis à voluntate Pontificis pendet, qui poſſet etiam (ſi vellet, cenſeretq; expedire) immutare Cardinalium Iura. Suar. ibid.
Quare nec illa quaſi poſſeſſio iuuat. Inn. d. c. bonæ. Abb. c. ex geſtis circa fi. de Cler. non reſid. Fely. hic n. 2. quam præterea Cardinales non habent, ſciunt enim vel ſcire tenentur, ſe honeſtate, & decentia fuiſſe, vbi contigerit, à Pontifice conuocatos. d. c. fundamenta, ſ. decet, &c.
36 Ad 2. R. intereſſe, quo Iure Cardinales fuerint Summo Pont. Coadiutores dati; Nam diuino iure factum non probatur, & d. c. per venerabilem illud ſolum colligitur, Summum Pontific. ſibi feciſſe Coadiutores Cardinales ad imitationem legis veteris, vt dictum eſt. Quod ſi humano Iure factum fuit, & ex decentia, non officit Pontificiæ libertati.
37 Ad 3. R. verum eſſe, quod adſumitur, quando in re minus honeſta cõtrahitur peccati labes, tunc enim quod inhoneſtum eſt, illud itidem impoſſibile eſt. Secus, quando ratione Ciuili tantum, aut ſecundum mores Ciuiles minuitur honeſtas, tunc enim vel nullum peccatum eſt, vel dignum venia. Vide Innoc. c. 1. de vita, & hon. Cler. Nec benè ratio conficitur; Decet Cardinales à Pontifice
38 conuocari, ergò indecens contrarium eſt, medium .n. eſt aliquod inter id, quod decet, & quod dedecet. Sic re-

ſp. ad tex. in d. §. decet, quo etiam ait Milia. ibid. num. 25. tantum probari, decere Summum Pont. vt curet, atq; efficiat, ne poteſtatis alicuius ſecularis metu Cardinales deterreantur, quominus habere valeant, quandocunq; contigerit in quibuſdam negocijs eorum peti conſilium, Romano Pontifici adſiſtere; contingit autem illud, vbi arduum aliquod negocium incidit. Sic ver. *decet* ad metus excluſionem refertur, non autem conſilij requiſitionem.

39 Ad 4. R. iterum omnibus Apoſtolis in ſolidum, & diuiſim fuiſſe conceſſam ſupremam illam ligandi, ſoluendiq; poteſtatem, & per hanc ſtatuendi leges, cunctaq; ardua expediendi; At Petro eminentiori quodam modo, & in perpetuum, cæteris autem cum eorum vita duraturum, & cum quadam ſubordinatione ad Petrum.

Ad. 5. R. negando omnia. Etenim. ſi Summus Pont. aliquid egerit abſq; rationabili cauſa, vel imminente ſcandalo, nihil ad quæſt. Dum enim dicimus, poſſe Sum. Pontificem abſq; conſilio Cardinalium maiora pertractare, ſimul requirimus, vt abſit omnis iniquitas, & ſcandalum quę non effluunt ex defectu conſilij, ſed animi prauitate.

Quod etiam additur, inſipidum eſt, nanq; ex dictis innoteſcit, quæ ſit Pontifici poteſtas. Quod ſi ardua non fuerunt generali mandato Pontifici commiſſa, manſit profecto eorum poteſtas in Chriſto Domino; quare nulla erit in Eccleſia poteſtas pertractandi ardua vel cum Cardinalibus, vel ſine quod dictu abſurdiſſimam. Dices. ſolum cum Cardinalibus poſſe pertractari, at hoc eſt, quod diſputamus.

40 Exempla non refragantur; nam quod primum, negatur, non poſſe inconſultis Cardinalibus Pontificem de illis decernere, quæ ad fidem pertineant. Quinimo maiores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei attingentes ad Petri ſedem referendas aperte monemur. d. c. maiores. Quæ autem iura aduerſari videntur, honeſtatem quandam præſeferunt, moralemq; neceſſitatem, quæ non vrget Supremum Pontificis imperium.

Sic renunciare Pontificatui poteſt ſolus Pontifex. d. c. 1. adſenſus autem ille Cardinalium Suaſionis, & conſilij eſt, non authoritatis, vel interior propenſio, quæ cauſa conſilij

lij eſt. Et poteſt etiam ſubijcere ſe abſq; conſilio, quicquid ſcripſerit Gl. in d. c. in Synodo. Eodem modo videtur ſe Pontifex Imperatori ſubmittere. c. nos ſi incompetenter. 2. quæſt 7. Vel nullo modo poteſt hoc facere, etiam requiſitio conſilio. c. cuncta per mundum 9. quæſt. 3. c. ſi Papa. 40. diſt. vbi exceptio. Vel (quod aiunt) ſubijcit ſe quo ad cognitionem, non quo ad deciſionem . c. nunc autem. 21. diſt. c. mandaſtis cum Gl. vlt. 2. quęſt. 5. Quocirca alicubi ſcriptum reperi, nec perperam, non licere Imperatori iudicare Pontificem, etiam volentem.

Nil etiam impedit, quominus ſolus Pontifex Cardinales creet, communioneq; priuet, & dignitate, licet oppoſita Iura honeſtam quandam conſilij requiſitionem præſeferant. Et quod *canonicè* dicitur d. c. 2. de Cler non reſid. non refertur ad conſilium adhibitum, ſed ad iuſtitiam potius facta depoſitionis, vel ad ſolemnia in depoſitionem ſeruata. Sic referre in Sanctorum numerum ſolus poteſt, ſicut etiam Imperatorem deponere, transferre Imperium, cæteraq; omnia peragere, quæ negantur ex aduerſo, & oppoſita Iura ad eandem honeſtatem referuntur.

41 Quinimò hoc argum. vtitur Suar. ibid num. 14. quo communem ſententiam probet, in toto iure Pontificio rarius illa verba adijci conſueuiſſe. *Sacro approbante Concilio.* vel. *De fratrum noſtrum conſilio.* & ſim. quæ tamen ſæpius extra Iuris corpus in Reſcriptis, moribuſq; proprijs legi ſolent. Contingit hoc (ait ille) quia Pontifices propria authoritate leges ferunt, abſolutamq; atq; independentem poteſtatem agnoſcunt.

42 Quod autem pertinet ad tex. in d. c. non liceat, profectò eo attento nuſquam licebit Pontifici alienare Eccleſię bona vel cum conſilio, vel ſine. Sed nec potuit Symmachus Pont. ſua lege adſtringere Succeſſorem, vt ibi Gl. Quod autem fecit Greg. in d. c. cum Redimetor; ex honeſtate fecit, & Stylo. Illud ſtatue, iura omnia, quibus anteriores Principes aut ligant, aut excommunicant Succeſſorem, intelligi ex congruo, valere ad terrorem, nec aliud quicquam inuitis Succeſſoribus operari.

43 Addunt, quandoq; Paulum reſtitiſſe Petro c. Paulus. 33. quæſt. 7. h. v. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret.*

At tibi Grat. ſubiungit. *Hoc non de officio Eccleſiaſticæ dignitatis, ſed de puritate vitæ, & ſanctitate conuerſationis intelligitur, ſolus enim Petrus inter Apoſtolos Primatum gerebat*. Et Gl. ibi ver. *imparem* declarat ſcilicet meritis.

44 Demum ſi poſſet Pontifex illud facere, quo vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus turbaretur, ſolus poſſet. At nec ſolus hoc poteſt, nec cum Cardinalibus d. c. per venerabilem d. c. ſi Papa. Vide Bero. cum alleg. num. 65. & 71.

His abſoluitur Quæſtio. Cæterum poſito, teneri Summ. Pont. ad requirendum Cardinalium ſuorum conſilium, an etiam cogatur amplecti, vide Rip. num. 21. & alios

45 ſcrib. Et an ſit conſilium, vel magis conſenſus, vide cum cæteris Boſ. num. 77.

# RVB. DE CONSTIT.

## QVARTA PARS.


| | |
|---|---|
| *Diuiſio Iuris in ſcriptum, & non ſcriptum, an eſſentialis* | 1. |
| *Et quomodo accipienda.* | 16. |
| *Romani Iuris nulla pars, quæ ſcripta non ſit.* | 2. 15. |
| *Scriptura apud Athenienſes de forma legis.* | 3. |
| *Scriptura legis definitionem, an ingrediatur.* | 4. 9. 21. |
| *Ex præpoſitio immediatam cauſam notat.* | 5. 19. 23. |
| *Lex vnde dicta.* | 6. 25. |
| *Imperator dicendo legem condit.* | 7. |
| *Scripturæ proprium munus.* | 8. 11. 14. |
| *Chriſtus verbo legem tradidit.* | 10. |
| *Duorum menſium ſpatium cuſtodiendæ legis indultum, & cur?* | 12. |
| *Scriptura legis de forma exiſtentię, non eſſentiæ.* | 13. |
| *Differentia legis, & conſuetudinis.* | 17. |
| *Ius ſcriptum quaſi præſcriptum.* | 18. |


Laco-

*Lacedæmoniorum vera leges abſq; ſcriptura, non conſuetudines.* 20.
*Promulgatio legis, quæ.* 22.
*Sententia Principis abſq; ſcriptura.* 24.
*Vbi definitio pugnat, Ethymon cedit.* 26.

PRoponit Abb. num. 3. Num ſcriptura de eſſentia legis ſit. Prima op. affirmat, quæ etiam communis. Salic. & alij in l. humanum C. de ll. Scrib. in §. conſtat Inſt. de iu.
1 Nat. gen. & ciu. fundam. eſt diuiſio illa Iuris in d. §. conſtat, qua Ius ciuile in ſcriptum, & non ſcriptum diſtribuitur. Vel enim ab eſſentia diſtributio ducitur, vel ab accidentibus. Si ab eſſentia, obtinet hæc ſententia. Si verò ab accidentibus, vt ex aduerſo aſſeritur, recta quæq. diuidendi ratio pugnat, ſumma enim diuiſio haud congruè ex accidenti ſumitur, nec ſecus, ac ſi prima quis diuiſione Animal in album, & non album deduxerit.

Quod ſi dixeris, non omne ius in ſcriptum, & non ſcriptum diuidi, ſed ius Romanum, ibi *ius, quo vtimur. &c.* Prçterquamquod non ſoluitur aliqua ex parte nodus, augetur etiam difficultas; neq; enim Romani iuris pars aliqua da-
2 tur, quæ ſcripta non ſit, ſi accidens inſpexeris. Igitur totum ius Romanum ſcriptum dicendum erit, nam toti ſcriptura obtigit. Quod ſi ſcriptum deniq; ad originem conſugias Athenienſium, & Lacedemoniorum, de qua Iuſt. ibid. in §. & non ineleganter; & ad originem diuiſionem referas, haud minor erit difficultas, namq; ipſa ori-
3 gine ſcriptura de forma legis fuiſſe videtur apud Athenienſes, qui non niſi legem ſcriptam cuſtodiebant. vt ibid. annuit Iuſt. Scopulos igitur iſtos vt effugias, fatearis neceſſe eſt, eſſentialem eſſe diuiſionem, non ab accidenti ductam, ſcripturamq; de eſſentia legis eſſe.

4 Confirm. pluribus. 1. quia ſcriptura legis definitionem, & conditiones ingreditur. c. lex. eſt c. omnes §. ex his verbis 1. diſt. c. duæ ſunt. 19. quæſt. 2.

2. Quia conſuetudo. ſcriptura quaſi noua forma adueniente lex effici videtur. c. conſuetudo. §. cum itaq; 1. diſt.

3. c. in iſtis §. leges 4. diſt. ibi *leges inſtituuntur, dum promulgatur*, adhæret tex. in c. 1. de poſtul. prǽl. ibi *publicè*

*promulgatur.* Conueniunt plura de ſcriptura legum enunciata in varijs Pontificij Iuris capitibus.

4. Ex duplici Regula ferendarum legum in d. c. humanũ C. de ll. in Rub. & Nig. Auth. vt factæ no. conſt. quibus dictari, promulgari, inſinuariq; leges iubentur, & id genus alia, quæ ſcripturam euincunt. Adhæret tex. in l. leges C. de ll. & quod in pragmaticis ſtatuitur in l. vlt. C. de diuer. reſcr. Et alia permulta, vt d. §. conſtat ibi *ex ſcripto* ex penſa prepoſitione *ex* que immediatam cauſam notat l. ex hoc Iure ff. de Iuſt. & Iu. not. Scrib. ad l. non dubium C. de ll. l. eo tempore §. vlt. de Pecul. Item §. ſingulorum ibi *lege ſcribi cæperunt.* Inſt. de rer. diu. l. ſed & ea ibi *Quæ ſcripta ſunt iura*, ff. de ll. l. inciuile. ibi *tota lege perſpecta* ff. eod. Tit.

5. Ex ordine præſcripto in c. in cauſis de Sent. & re Iudic. *In cauſis, quæ Summi Pont. iudicio deciduntur, ordo Iuris, & rigor æquitatis ſubtiliter obſeruandus &c.* Ordo autem ſcripturæ eſt l. 1. 2. & 3. C. de Sent, & peric. recit.

6. A notatione legis, quæ à legendo dicitur; lectio autem ſcripturam conſequitur. l. 1. §. legi. ff. de his, quæ in teſt. delen. l. 2. §. 1. ff. quemad. teſt. aper. Et quæ in alia.

2. Op. negat, quæ verior, & magis frequens. De comm. Abb. Pan. in c. 1. de Poſt. præl. num. 19. fely. hic num. 3. Ripa 42. & paſsim alij ſcrib.

7 Fund. Quia Imperator dicendo legem condit. l. 6. C. qui bo. ced. poſſ. Eiuſq; placitum, ſeu voluntas anima legis eſt. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu Nat. l. 1. ff. de Conſt. Princ. l. de quibus ff. de ll Ariſt. 10. Eth. c. vlt. ibi *ab aliqua prudentia, menteq; profecta* quamuis idem in Rhetor. ad Alex. de gen. delib. ciuitatem ſtylo inſpecto, ſcripturæ accidens legum definitioni adiungat.

8 Et ſcriptura quidem ius non inducitur, ſed inductum probatur l. 1. §. exactis ff. de orig. Iu. l. contrahitur ff. de Pignor. l. cũ res C. de probat. Et eſt ſignum ſimplex ad perpetuam rei memoriam inuentum c. 1. de Renun. lib. 6. l. iubemus §. ſed ne aliqua C. de teſtam. Not. omnes poſt Philoſ. in c. literæ Inſt. de rer. diuiſ. à quo ridiculum eſſet pendere legis conditæ authoritatem arg. l. immò ff. de ll.

9 Hinc veras, eſſentialeſq; legum definitiones ſcripturæ

minis-

minimè ingreditur c. lex eſt 2. diſt. l. 1. ff. de ll. cum l. 2. ex demoſt. & Chryſ. & apud Ariſt. vt ſup. Zenoph. in Oecon. M. Tull. in 1. & 2. de ll. Ate. Capit. quem refel lit A. Gell. Noct. Att. lib. 10. c. 20. D. Tho. 1. 2. quæſt. 90. art. 4. aliosq; apud Sot. de Iuſt. & Iu. lib. 1. quæſt. 1 Agric. quem commendat Franc. Conna. lib. 1. c. 8. nu 7. Franc. Picol. de Morib. gra. 10. c. 24.

Confirm. ex c. 1. de Iure Iur. lib. 6. ibi *Iura, & conſuetudines ſcripta, & non ſcripta.* c. ſi quis 1. quæſt. 7. *traditionem & non ſcriptam.* c. inſtitutionis 25. q. 2. *Siuè quæ ſcripti decernimus, ſiuè quæ in noſtra præſentia ſancita ſunt* c. cõſuetudo ver. ratione 1. diſt. Clem. dudum circa fin. ibi *verbo, ſeù ſcripto* de ſepult. l. 2. §. nouiſsimè ff. de Orig. Iu. *Aut eſt proprium Ius Ciuilè, quod ſine ſcripto in ſola prudentum interpretatione conſiſtit.* Et quia, ne plura ſe-
10 quar, ſupremus ille legislator Chriſtus verbo legem tradidit, vt Math. 5. *Ego autem dico vobis, diligite, &c.* Et alibi paſſim.

11 Obſer. 1. de ſcriptura perperam ferri in pluribus Iudicium, quicunq; enim celebretur actus ſcriptura nihil inducit, cuius finis, officiumq; eſt ante oculos geſta proponere, eorundemq; alere memoriam, quod in lege neceſſarium viſum, ne ſit ludibrio, iuſtam de lege excuſationem ſubditis prætendentibus. Bal. poſt alios in d. c. humanum pum. 6. Hinc ferendarum legum conſtitutæ Regulæ in d. l. humanum, & d. Auth. vt factæ no. conſtit. non vt ſi eo modò lex, ſed vt probetur, qua ratione duo-
12 rum quoq; menſium ſpatium indulgetur d. Auth. neq; tamen tempus, aut inducendæ, aut tollendæ legis modum eſſe dixerix.

13 Huc pertinet, quod peritiores diſtinxere non eſſe ſcripturam de forma eſſentiæ, ſed exiſtentiæ modum eſſe, lex eſt ante ſcripturam, nec tamen exiſtit, vt roſa in hyeme eſt, non exiſtit tamen. Donec autem lex exiſtat, ſuſpenditur contumaciæ pœna, quæ nulla errantis, iniiuſ eſt, d. Auth. vt fa. no. conſtit. ibi. *Cur enim culpabimus eos, qui poſitas noſtras ignorauerint conſtitutiones? &c.* ipſa tamen lex non ſuſpenditur, quia ſtatim eſt, licet non exiſtat, vt d. Auth. ibi. *Quia licet factæ ſint leges, non ſunt tamen cognitæ.* Gl. in Clem. 2. de hæret. verſ. ex tunc.

DD.

DD. in c. 2. h. t. Dec. hic num. 11.

14 Obſer. 2. Si concedamus, Romanas leges ſcripturæ, vt ligent, donandas eſſe, d. l. humanum d. Auth. vt fa. no. conſt. non tamen in omnibus vbiq; legibus idem ſtatuendum eſſe, certiſſimum enim illud, forma legum vniuerſaliter inſpecta, ſcripturam legi nihil addere præter probationem. Ità em ptionis contractus, qui ſolo conſenſu perficitur, aliquando ſine ſcriptura non obligat. §. his igitur Inſt. de empt. & vendit. neq; iſtud tamen ad cæteros contractus, qui ex ſolo conſenſu pendent, vi trahere oportet.

Non obſtant modò contraria, & quod præcipuum eſt, facilè euertitur, ſi ab exiſtentiæ, non eſſentiæ forma diuiſionem ductam dixeris. At hæc fortaſsè diſplicebunt, neq;

15 tutior alia aperietur via, qua rectam diuiſionem defendas. Illud quidem omninò ineptum accidentibus diuiſionem tribuere, cum, ſi accidens inſpexerit, ius non ſcriptum, vt dixi, iuris corpore non inueniatur.

16 Rectius itaq; dices, diuiſionem iuris ciuilis ſecundum legis, & conſuetudinis eſſentiales differentias traditam fuiſſe, quamuis in verborum cortice accidentia referat

17 ſcripturæ. Vera illa differentia eſt, expreſſo Populi conſenſu legem, tacito autem conſuetudinem induci: l. de quibus, & ibi omnes ff. de ll. neq; aliud quicquam propoſita diuiſio petit. *Ius* ( ait Imp.) *aut ſcripto conſtat. aut non ſcripto.* hoc eſt. Ius, quò vtimur, aut ſcriptum ab initio fuit, & expreſſo Legiſlatoris conſenſu inductum, aut non ſcri-

18 ptum, hoc eſt, tacito populi iudicio receptum, quò ſpectat cuiuſdam interpretatio ius ſcriptum dicentis, hoc eſt, præſcriptum, & expreſſa conditum voluntate.

19 Comprobantur hęc, nam verba illa *conſtat ex ſcripto, & non ſcripto* originem notant, & primam legis creationem, & quia, vt definitiones repondeant, neceſſaria hæc interpretatio eſt. Rectè igitur. Ius ſcriptum, hoc eſt, expreſſa conditoris voluntate ſancitum eſt lex, plebiſcita, Senatus conſ. &c. Ius non ſcriptum, hoc eſt, tacito conſenſu introductum, eſt quod vſus approbauit.

20 Ità nec illud pugnat, quod de ſola Romani Iuris diuiſione dictum eſt, neq; obſtat, ſcripturam apud Athenienſes de forma legis fuiſſe, nanq; eadem apud Lacedęmonios

nios omninò refellebatur, neq; tamen minus Lacedæmoniorum leges ſeruabantur, quas Lycurgus lator nullis alijs tabulis, quam ſuorum mentibus inſculptas voluit, neq; verò conſuetudines erant, vt ta.sò multi exiſtimant, ſed earum conſtitutio certa, & tempus, quò latæ, certum, & qui eas tulerat non ignotus, & habens legis condendæ authoritatem, cum tamen conſuetudinis, & principium ignoretur, & Author.

Quæ ad confirmandum adducta, facilius infirmantur, & omnia quidem ex eo quod diſtruximus, refert enim eſſentiam legis conſideremus, vel magis exiſtentiam.

21 Sed adhuc primum non obſtat, quia definitiones illæ ſubſtantiam legis non attingunt ſatis, nec definitionum habent inſignia ſed vix deſcriptionum, qualis Ariſt. in Rhetor. à quò hæ deſumuntur. Nec legis conditiones ſcriptura ingreditur, ea enim conditio ponitur in d.c. erit autem lex, vt communi vtilitati conſcribatur; quod autem de ſcriptura dicitur, ſimplex eſt enuntiatum.

Neq; obſt. 2. Nam falſum eſt, quod in eo adſumitur, vt inferior appendix facilè commonſtrabit.

22 Non obſt. 3. Nam, vt omittam cætera, qui promulgationem opponunt, haud ſatis videntur quid ea ſignificetur accepiſſe. Promulgare quaſi prouulgare dictum publicare eſt, palamq; pronuntiare. Promulgari autem lex dicitur, cum propalam conſtituitur, vt qui velit intercedat nemine intercedente lex feratur. Col. lib. 1, *Caius Licinius damnatus eſt, qui agri modum, quem in Magiſtratum rogatione Tribunitia promulgauerat, immodica poſſidendi libidine tranſcendiſſet.* Suet. in Iul. Cæſ. c. 20. *Lege autem Agraria promulgata obnuntiantem Collegam armis foro expulit.* Eo igitur promulgatio fiebat, vt quiuis è populo, rogatione inſpecta, per otium examinare poſſet, ſciſcenda ne eſſet, vel antiquanda magis. Antiquat autem latam rogationem Populus, cum perferri non ſinit.

Nec aliud quicquam voluit Gratianus; cum enim dixiſſet, *Leges inſtituuntur, cum promulgantur.* Sequitur poſt. *firmantur, cum moribus vtentium approbantur.* Cuius loci ea ſententia eſt, promulgando palam proponi leges, atq; inſtitui, non firmari, quod ſatis initio eiuſdem cap. manifeſtum fit. *In iſtis temporalibus legibus, quamquam de his*

*homines iudicent, cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ, & firmatæ, non licebit Iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundum ipſas.* ( ſcio, me hunc locum alibi expoſuiſſe, nec tamen ad rem, de qua nunc agitur ) Et fauet M. Tull. 2. Philip. *Illæ enim leges nulla promulgatione latæ ſunt, antequam ſcriptæ.* Et vide Alexan. ab Alexan. Gen. lib. 6. cap. 23.

Non obſt. 4. Nam illæ ferendarum legum Regulæ non vt lex ſit, ſed vt probetur, ſiue exiſtent in dd. ll. decernuntur, vt dixi, & tex. in §. conſtat, quomodo accipi debeat,
23 iam docuimus, præpoſitionemq; illam *ex* multoties ſubiecta materia ſecus dijudicat, ſed neq; in ea ſignificatione nocet, quod probatum ſatis. Quæ verò enuntiant è communi ſtylo hoc faciunt, neceſſitatem verò nullam afferunt.

Non obſt. 5. Nam verba illa Summi Pontif. non euincunt
24 ſcripturam neceſſariò. Nec diffiteor ſcribendas eſſe ſententias ex deductis d. l. 2. cauſis, vide Rip. num. 43. & 44 ſcribi etiam à Principe ſolitas, qui legibus viuit. l. digna vox C. de ll. abſurda tamen ex hoc erit illatio, non valere ſententias Principis, quæ literis demandata non fuerit l. vlt. C. de ll. Gl. in c. vlt. ver. Illuſtrium de ſent. & re Iud. lib. 6. & auferri Principi diſpenſandi authoritatem contrà tex. d. c. in cauſis. Præterea non rectè à ſententia inferimus ad legem d. l. 2. & vide Rip. cum alleg.

25 Non obſt. vlt. Nam legis Ethymologia controuerſa eſt; & quidem à legendo nullo modò dicitur, in quo deceptus Iſid. lib. 5. Eth. c. 6. neq; etiam à ligando, vt arbitror, ſed magis à legendo, hoc eſt deligendo. Tull. 1. de ll. Eſt enim lex recti præceptio, prauiq; depulſio, iuſtorum, iniuſtorumq; diſtinctio, & Regula, vt detur ſuum cuiq; quod ipſum facere non poteſt, niſi quæ recta ſunt deligat, reijciatq; contraria. Vide Conna. lib. 1. cap. 8.
26 num. 1. Præterea vbi definitio pugnat, Ethymon cedit, quod certum eſt.

P*Vpillaris ſubſtitutio moribus introducta, & quomodo* 1. 12.
*Ius patriæ poteſtatis moribus tributum, & quibus.* 2. 11.

*Pru-*

*Prudentem reſponſa partes ſcripti Iuris, & quotuplicia.* 3. 13.
*Conſuetudo ad ſcripturam redacta conſtitut.o dicitur.* 4.
*Iuris ſcripti partes conſuetudo, & æquitas.* 5.
*Diſcrimen legis, & conſuetudinis.* 6.
*Scripturæ partes, ſeu munera.* 7.
*Feudales conſuetudines ſcripturæ demandatæ.* 8.
*In contractibus, & teſtamentis ſcriptura munia.* 9.
*Conſuetudo quando ſcripturæ tradita lex fiat.* 10.
*AEquitas dicitur ad relationem legis.* 14.

EX his Quæſtio nondum abſoluitur, manet enim in eo difficultas, verum ne ſit, quod multi aſſeruere, conſuetudinem literis donatam tranſire in legem, quaſi noua forma acquiſita.

Prima opin. affirmat. Conna. lib. 1. cap. 10. num. 3.

Fund. in l. moribus ff. de vulg. & pupill. iun. l. iam hoc iu-
1 re eod. Quibus pupillaris ſubſtitutio moribus introducta, literis poſtmodum demandata conſtitutionis nomen, atq; eſſentiam accepiſſe videtur. Nam *moribus* (ait Vlp.) *introductum eſt. vt quis liberis impuberibus teſtamentum facere poſsit, donec maſculi ad 14. annos perueniant, fœminæ ad 12.* At verò *iam hoc iure vtimur* (ſcribit Modeſt.) *Ex D. Marci conſtitutione, vt cum Pater impuberi filio in alterum caſum ſubſtituiſſet, in vtrunq; ſubſtituiſſe intelligatur.*

2 Sic Ius partiæ poteſtatis, quod pupillaris ſubſtitutionis quaſi fundamentum eſt, quandoq; moribus, quandoq; Ciuili Iuri tribuitur. l. Patre Furioſo. ff. de his, qui ſui, vel alio Iure ſunt. iun. §. 1. Inſt. de Pat. pot.

Sic de non ſcripto quodam iure mentio eſt in l. 2. §. ex his legibus ff. de orig. iur. illudq; tamen accipimus, pruden-
3 tum reſponſa ſcripti iuris corpore inſerta inter eiuſdem partes recenſeri. §. reſponſa prudentum Inſtit. de Iur. Nat.

Sic deniq; Lacedæmoniorum mores eboreis tabulis præſcripti, & pro roſtris compoſiti legum ſcripturę beneficio nomen naturamq; accepere. §. & non ineleganter Inſtit. de Iur. Nat. l. 2. § exactis ff. de Orig. & Iur.

4 Itaq; aperiiſſimè Gratia in c. conſuetudo §. cum itaq; 1. diſt.

1. d. ſt. docet, conſuetudinem ad ſcripturam redactam conſtitutionem ſiue ius vocari.

Confirm. duplici ratione 1. quia ſcriptum ius nullum eſſet, ſi ſcripturam ſolum alendæ memoriæ cauſa legibus adhibitam concedamus, omnes enim Principum conſtitutiones, omnia Pontificum decreta, ne obliuioni dentur, literarum fidei commendata ſunt. cap. 1. de Renunc. lib. 6. 2. Quia duæ videntur partes Iuris non ſcripti, æquitas, &
5 conſuetudo. At æquitas literis oblitteratur, ergò, & conſuetudo.

Negant comm. Interpr. teſtè Ripa d. l. moribus num. 12.
6 fundam. in d. l. de quibus ff. de ll. qua vera, eſſentialiſq; differentia legis, & conſuetudinis aperitur, vt illa expreſſo populi, aut Legislatoris conſenſu, hæc tacitò inducatur ibi. *Suffragio, ne populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis, & factis*. Iam igitur diuturna conſuetudo conſenſu vtentium comprobata nihil deſiderat, quocirca, ſi literis mandata fuerit, actum præſumitur, vt magis probetur. Salic. in ſim. in l. contractus C. de fide. inſtr. Ne-
7 que immutari eius natura poteſt; quia ſcriptura ius non inducit, ſed inductum probat l. 1. §. exactis ff. de Orig. Iu. l. contrahitur ff. de Pignor. l. cum res C. de Probat. Eiuſq; munus alere memoriam c. 1. de Renun. lib. 6. l. iubemus §. ſed ne aliqua C. de teſtam. de quo in ſuperiori quæſt. ſatis, vel ex alijs cauſis requiri ſolet, de quibus in l. 1. 2. & 3. C. de ſent. ex per. recit. nunquam tamen ingreditur eſſentiam actus, & ſecundum ea, quæ accidũt, à lege quæritur, aut negligitur; vbi autem quæritur, accidens eſt inſeparabile, vel (aiunt noſtri) conditio, ſine qua non, vt in ſententia, teſtamento ſcripto, & ſim. de quibus latè Gl. in d. l. contrahitur ff. de pignor. ver. *valet, quod actum eſt*. cæterum ſeparabile, vt in conſuetudine, quam in ſcripturam redigi non eſt neceſsè. l. immò ff. de ll. quod ſi fortè accidat, vt redigatur, ridiculum eſt, ex Accidenti mutari.

8 Confirm. 1. ex feudorum conſuetudinibus, quæ adhuc ſunt, & dicuntur conſuetudines, licet in ſcripturam redactæ. Scio, dixiſſe plures actum hoc à priuato eſſe, qui legis condendæ authoritatem non habuit. At ponamus aduerſum, quid quæſo authoritas illa adijcit deductæ in-

eſſe

eſſe conſuetudini, legiſq; vim, & authoritatem aſſecutæ? Quod ſi quid addat, fit ne conſuetudo lex virtute ſcripturæ, an potius virtute illius authoritatis? At tunc (inquiunt) promulgatur conſuetudo vt lex. Videant in præced. quæſtione, an promulgationis vim ſignificationemq; ſatis acceperint.

2. A conſim. de contractu Emptionis, Nuptiarumq; itē Nuncupatiuo teſtamento; illa enim conſenſu perfici dicuntur, quamuis vt ſcriptura conficiantur, inter contrahentes actum ſit, ſcriptura ad ſolam probationem requiſita. d. l. contrahitur. Hoc autem nuncupatiuum teſtamētum eſt, & dicitur, quamuis literis demandatum §. final. cum ſcrib. Inſt. de teſtam. Omitto, quod Canon. dicunt in c. in noſtra de Reſcrip. beneficialem literam non eſſe beneficij titulum ſe probationem. Abb. ibid. in fine fely. inter cæterorum num. 8.

3. Quia ius Ciuile in ſcriptū, & non ſcriptum diſtribuitur, & nihilominus accidenti inſpecto ius omne, quo vtimur, ſcriptum eſt; ſcriptura igitur nihil immutauit.

10 Atq; ita exiſtimandum; vt tamen de tali conſuetudine ſit quæſtio, quæ ante ſcripturam legis vim obtinuerit. Secus in ſcripturam redacta ab eo, qui legis condendæ poteſtatem habeat lex erit, non conſuetudo. Demus itaq; Solonis, Draconiſq; leges non ſcriptas conſuetudines dici poſſe, quod ſupra negatum, & iure, hæ quidem Romæ non ſeruabantur, neq; igitur legum appellationem meruere, donec approbante eas populo à Decemuiris ſuo ordine in decem tabulis poſitæ fuiſſent l. 2. §. 1. ff. de orig. Iur. Contrarium in patria poteſtate apparet, quæ cum Romuli, Populiq; Romani vſurpatione, & moribus fuerit introducta, legiſq; vim, & poteſtatem ante habuerit in vrbe, literis poſtmodum commendata adhuc moribus recepta dicitur. d. l. 8. ff. de his qui ſui, vel al. Iu.

Item quæſtio in puris ſcripturæ terminis diſputanda eſt. Quod ſi conſuetudinis addatur, detrahatur ue aliquid, ſi forte legem fieri conceſſero, immutationi tribuam, non ſcripturæ arg. l. Ius Ciuile ff. de ll. l. 1. §. ſi quis ſimpliciter ff. de verb. obl.

11 Non obſt. contr. Minus autem; quod præcipuæ deductum, vt enim à patria poteſtate incipiam, à quæ cętere

om-

om nia pendent, moribus fuiſſe receptam ait Vlpia. in d.l. 8. quod Lacedæmoniorũ moribus minimè tribuendum eſt (in quibus tamen minor eſſet difficultas, vel ex eo, quod mox dictum eſt, vel ex eo etiam, quia non erant veræ mores, ſed expreſſo conſenſu latæ leges) ſed Romanorum moribus, qui ante ll. 12. Tab. & ab Vrbe condita regnante, Romulo hanc ſibi poteſtatem vendicarunt, non lege lata; ſed quaſi ſua ſponte, & omnium approbatione; cumq; a Iure gentium originem ducat; ſibi propriam effecerunt, & extraneis, peregrinisq; hominibus non communicarunt. Et hoc eſt, quod dicitur in d.§. 1. Inſt.de Pat. pot. ius patriæ poteſtatis proprium eſſe Romanorum Ciuium, aliosq; homines non eſſe, qui talem in liberos habeant poteſtatem. De quo Dyoniſ. lib. 2. Liu. lib. 1. aliqua referunt. Vide Conna lib. 2. c. 13 num. 2. A decemuiris poſtea in 12. Tab. relatum fuiſſe ius patriæ poteſtatis apertiſſimum eſt, cumq; introductæ fuiſſent diſceptationes fori, prudentum conſuetudine, hoc eſt, interpretatione, de
12 qua in d. l. 2. §. ex his legibus pupillaris ſubſtitutio introducta eſt, quæ idcò moribus tribuitur d. l. 2. ff. de Vulg. & c. Vide Alcia. lib. Pater. 4. c. 21. eademq; ratione per arrogationem acquiſitio. §. 1. Inſt.de acq; per arrog. Quam igitur decepti omnes, qui Lacedemoniorum moribus pupillarem ſubſtitutionem tribuerunt? Demum d. Marci conſtitutione additum eſt, vt in altero caſu ſubſtitutio facta in vtrumq; facta videatur, quod cum antea moribus inductum non fuiſſet, ſed poſtea. d. Marci conſtitutione cautum, non apparet, cur legi referendum non ſit acceptum. Marian. Socc. in d. l. moribus num. 34.

At Gloſſator ibid. ver. receptum *moribus* exponit, hoc eſt, Iure Ciuili, nec deſtituitur ratione, probat enim Gl. ius patriæ poteſtatis furore non amitti ea ratione, quia moribus competit, hoc eſt, ipſo iure, ità, vt non niſi modis legi probatis diſſolui queat, quæ tamen interpretatio neceſſaria non eſt, vtro enim modò ſit receptum aliquid, lege ſcilicet aut more, ignorantes quoq; & furioſos tenet. Conna. ibid. Habeſ, quid de Iure patriæ poteſtatis, eiq; adnexis dijudicare queas, quod idem tot ampliatum legibus, limitatumq; eſt, vt moribus ſolam originem, legibus cæteras cuncta referas.

13 In-

13 In reſponſis verò prudentum, præterquamquod non conſuetudinis, ſed Ciuilis Iuris nomine ſignificabantur, diſtinguenda ſunt tempora, quæ enim prudentum reſpõſa literis mandata ſunt, fuerunt poſt Cæſares lata, de quibus in d. §. reſponſa prudentum; cetera verò ante Cæſares poſt ius 12. Tab. vt d. l. 2. § ex his legibus. quæ inter partes iuris ſcripti non recenſebantur, & proprio quodã nomine ius ciuile dicebantur, vt tibi dicitur, & vide ibid. Cuiac. igitur ante Cæſares quinque tantum erant iuris ſcripti partes; prudentum reſponſis nec dum cognitis.

Gratiani verò authoritas non viget, & quatenus vrgeat, de materiali quadam conſuetudine loquitur deducta, atq; explicata ſuperius, quando de maiori legis, aut conſuetudinis antiquitate verba fecimus. Reſpondi alias, Gratianum ſecundum communem vſum locutum eſſe, quo conſuetudo ſcripturæ donata lex dicitur, vnde etiam *vocatur*, inquit, non *eſt*. Siq. aliter hæc intelligas, quod initio dicitur acceptione quadam refragatur. *Nec differt, an ſcriptura, an ratione conſiſtat*. Aliqui vero ſuſpicantur, intellexiſſe Grat. conſuetudinem illam, quæ expreſſo populi conſenſu inducitur, & minus propriè conſuetudo vocatur, ducuntq; exemplum ex d. l. 2. §. nouiſſimè ff. de Orig. & Iur. quæ profectò animaduerſio nimia ſubtilitate laborat.

Ad 1. ratione R. diſcrimen aliud inter legem, conſuetudinem q; ſupereſſe, quippè iura ſcripta dicuntur non tam ſcripturæ ratione, quam expreſſæ rogationis, vt dixi.

14 Ad 2. quæ ſubtiliſsima eſt, R. æquitatem à ſe ſola conſiſtere non poſſe, & ſemper ad alterius legis ſcripturam accomodari, vnum enim ſolumq; negociũ eius eſt ſcriptarum legum voluntates, & quaſi cogitationes omnes, ſenſuſq; bene noſſe, eoſq; pro ſua bonitate ad naturalem rationem adducere. Lex igitur, atq; æquitas in ijs eſt, quæ cum aliquo conferuntur, nec vlla æquitas eſt, quæ non ſit alicuius legis æquitas, aut lex nulla, quę propemodum alicuius æquitatis lex non ſit, quia nihil tam enucleatè dici poteſt, aut ſcribi, nihil tam planè, & definitè, quod non multa æquitate ſit ſæpè temperandum, aut ſupplendum. Cum igitur æquitas ſecundum relationem legis dicatur, ſi ſcripto ſanciatur, manet quidem eadem, & re

G ipſa

ipſa quidem manet, neq; minus iuſta, æqua, bonaq; eſt, quam prius, quam ſcriberetur, ſicut manet dominus re ipſa mortuo ſeruo, quamuis amplius non ſit Dominus; nomen verò æquitatis non habet, neq; eſt amplius æquitas, cum iam non referatur ad legem, ſed à ſe, & ſola conſiſtat. Ex quibus colli ge, quam diuerſa etiam in propoſita quæſt. ſit ab æquitate conſuetudo, cum hęc ſecundum relationem non dicatur, ſed tota ſua ſit, non alterius, neq; ad legem, aut aliud quicquam referatur, non diſſimilis à Iure Naturæ, quod cum à ſe, & ſolo conſiſtat, ſi populorum ſcribatur legibus, naturale eſſe non deſinit. Vide Conna. Latius lib. 1. c. 11. num. 5.

*OMne priuilegium eſt Reſcriptum, non contra.* 1.
*Contractus Principis ſcripturam exigit.* 2.
*Priuilegium lex quædam eſt.* 3.
*Priuilegium, & generalis lex differunt ſecundum plus, & minus.* 4.
*Quodlibet verbo ſit, cui à Iure nominatim ſcriptura non requiritur.* 5.
*Verbum non minus efficax, quam ſcriptura.* 6.
*Priuilegium quid.* 7.
*Priuilegium Donationem ſapit.* 8.
*Donatio nuſquam exigit ſcripturam.* 9.
*Priuilegium ſolo verbo concedi poteſt.* 10.
*Cur nomine Reſcripti appelletur.* 11.
*Contractus Principis cur exigat ſcripturam.* 12.
*Dignitates Sacris apicibus probantur.* 13.
*Priuilegio an, & quando exigatur ſcriptura.* 14.

SVbnectitur quæſtio, an ſcriptura ſit de eſſentia Priuilegij, ſiue gratiæ: Et quidem ſcripturam in lege requiri ad exiſtentiam, indubitati Iuris eſt; in priuilegio verò maximè dubij; quocirca, & eſſentia vocatur ad controuerſiam, & exiſtentia.

Prima quæſtio. An ſcriptura ſit eſſentialis priuilegio, vel
1 gratiæ. Dubia ex eo potiſsimum res eſt, quod omne priuilegium eſt reſcriptum, licet non contrà all. l. probatorias C. de diuer. reſcr. lib. 12. quare vel ipſo nomine arguitur eſſentia.

Con-

a Confirm. nam, & contractus Principis ſcripturam exigit. l. bene à Zenone C. de quadr. præſcr. ibi ex *Epiſtalmate tamen noſtro &c.* Demum Suar. de ll. lib. 8. c. 2. n. 1. arguit, quandoq; ſingulariter concedi à Pontifice, vt priuilegia viuę vocis Oraculo indulta iuuent in coſcientia, quaſi communiter non valeant. l. Ius ſingulare ff. de ll.

Contraria vero ſententia obtinuit. De comm. Bero. num. 83. Vide Suar. ibid. num. 2. cum alleg. Scrib. hic, & in c. conſtitutum, in c. noſtra de Reſcrip. quæ iiſdem fere rationibus nititur, quibus ſcripturam non eſſe legi eſſentialem demonſtratum eſt. Immò ab eiuſdem quæſtionis deciſione argumentum ſane potens excitatur; cum enim generalis lex ſcripturam non exigat ad eſſentiam, idem prorſus in gratia, & priuilegio ſtatuendum videtur; nam

3 priuilegium lex quædam eſt, dicitur enim lex priuata. c. priuilegia. 3. diſt. Et perſonali conſtitutio. l. 1. §. ſed quod Principi ff. de conſtit. Princ. §. ſed quod Principi Inſt. de

4 Iu. Natur. quocirca generalis lex, & priuilegium, ſiue gratia non tam ſpecie differre videntur, quam ſecundum plus, & minus.

Confirm. Aut enim Ius inſpiciamus, aut priuilegij naturam, non videtur ſcriptura tangere eſſentiam, nam Ius profecto nullum eſt, quod ſcripturam priuilegio faciat eſſentia-

5 lem; quare ſuccedit vulgatum illud, quamlibet diſpoſitionem verbo fieri poſſe, cui nominatim à Iure ſcriptura non requiratur. Nauar. conſ. 12. de Claud. deſponſ. Suar. ibid. num. 2.

6 Natura priuilegij minus ſcripturam exigit, namq; ex ſe verbum non eſt minus efficax, quam ſcriptura ſit, licet non adeo permanens, atq; adeo adcommodatum ad quoſdam effectus, & potiſſimum probationis, atq; æternitatis. At conditiones illæ non attingunt priuilegij ſubſtantiam, quare. & c. quod etiam manifeſtius fit, ex quo ſcriptura

7 priuilegij definitionem non ingreditur; eſt enim priuilegium nihil aliud, quam priuata lex ſpeciale aliquid concedens. Suar. ibid. c. 1. num. 3.

8 Denīq; priuilegium, aut gratia donationem quandam

9 ſapit. At donatio, vel à priuato fiat, vel à Principe, nuſquam exigit ſcripturam. §. perficiuntur Inſt. de donat. all. l. ſancimus §. exceptis. C. eod.

Non obſtant, quæ contra adducta fuere. Ad 1. reſponſum fuit, quandoq; inter priuilegium, & reſcriptum diſcrimen
10 aliquod habendum eſſe. Vide Suar. ibid. c. 2. num. 7. ſed, & illud ſane certum, ſolo verbo poſſe concedi priuile-
11 gium, ſi Principi placuerit; at ſolere priuilegium ſcripturę demandari, ideoq; reſcripti nomine ſignificari.

12 Ad vtranq; confirmatione R. ſi forte contractus Principis requirat ſcripturam, non eſſe tamen rei eſſentialem, ſed probationi eiuſdem, nam Epiſtalmate probandus eſt. Bal. c. 2. de reſt. ſpol. in fi.

13 Solet hoc etiam dignitatibus contingere, quæ non niſi per ſacros apices probantur. Bal. ibid. per d. l. probatorias.

14 Et in hoc ſpecialis gratia Pontificis verſatur, vt ſine ſcriptura valeat in conſcientia, non quia ſcriptura ſit eſſentialis priuilegio, ſed quia eſſentialis quandoq; eſt probationi eiuſdem.

Sed probabilius eſt in foro conſcientiæ nuſquam exigi ſcripturam in priuilegio, ac proinde neq; rei, neq; probationi neceſſariam eſse, vt infra.

*Motus proprius non niſi ſcripto probatur.* 1.
*Item mandatum Principis.* 2. 10.
*Tenor gratiæ deperditæ teſtibus probatur.* 3.
*Par virtus teſtium, atq; inſtrumentorum.* 4.
*Quæ teſtibus notanter probentur.* 5.
*Priuilegium quaſi donatio eſt.* 6.
*Scriptura nullibi eſt opus, niſi à Iure alicubi nominatim requiratur.* 7.
*Gratia verbo tenus facta à Pont. an expiret, ſi nondum ille expeditis literis moriatur.* 8.
*Gratia ſemper iuuat in foro interno licet literis non expeditis.* 9.

Quæſtio. 2. An ſcriptura requiratur ad exiſtentiam gratiæ, & priuilegij, atq; adeo nequeat ſine ſcriptura probari.

Et videbatur omni modo ſcriptura probationi neceſsaria, quod voluerunt officiales quidam Cameræ, & DD. de Rota, quos ſibimet Apoſtolicæq; Cameræ ſuffragari voluiſse ſuſpicatur Bero. num 86. At profecto in eandem ſententiam propendet Bal. d. l. humanum in fi. C. de ll. & alij

de

de quibus paſſim Recent. Vide Gl. & DD. in c. 1. de cenſib. ver. in ſcriptis.
Prob. 1. ex c. porro de Priuil. ibi *ex inſpectione Priuilegiorum* 2. ex c. contra morem diſt. 100. vbi ponitur ſcriptura quaſi ad modum conditionis h. u. *Oportet igitur, fraternitatem tuam, ſi honores ſuos quibuslibet argumentis ſtabili propoſuit mente defendere, aut generalitatis vſum ex non ſcripto ſequi, aut ex ſcriptis priuilegijs ſe tueri.*
1 3. Quia motus proprius non niſi ſcriptura probatur c. ſi motu proprio de præb. in 6. ibi *cum hoc expreſsè inutum*,
2 quod idem mandato Pōtificis obtingit c. iniunctæ 1. Extr. Comm. de elect. ibi *Aſſerenti namq. cum mandatis Principis ſe veniſſe, credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probauerit*; Idem in l. vni C. de Mand. Princ.
4. Ex l. ſacri affatus C. de diuer. reſcr. quo loci præſcribitur, materia, qua Principum largitiones reſcribantur. ſ. enchauſtum cocti muricis, tritiq. conchilij, & chartæ ſolum, ſiue membranæ. Et paſsim ſcriptura ſupponitur. l. vlt. C. de diu. reſcr. l. ſi qua per calumniam C. de Epiſ. & Cleric. l. idem Vlp. in fi. ff. de excuſ. tut. cum ſimil.
3 Addunt arg. a ſpeciali. Namq. vt probetur tenor gratiæ deperditæ ſingulari Iure teſtes admittuntur all. c. cū olim 14. vbi ſcrib. de Priuil. Vide Alex. conſ. 196. vol. 2. num. 9. Quare communiter recipiendi non erunt ad probanda priuilegia.
Ex aduerſo ſtat. dec. cum all. num. 12. in 1. lect. qui tamen aliter cenſuit in c. paſtoralis num. 6. de reſcrip.
4 Quæ ſententia nititur communi Regula, nihil referre, ſcriptura ne, aut alijs probationibus quidpiam innoteſcat l. pactum. C. de Pact. Item inſtrumentorū, ac teſtium virtutem eſſe æqualem l. in exercendis C. de fi. inſtr. c. cum Ioannes eod. Deniq. Priuilegium, aut gratiam conceſſam verbo, aut ſcripto comparari Clem. dudum §. nos etenim de ſepult. Tunc igitur ſcriptura opus eſſe, quando talis neceſsitas fuerit nominatim impoſita a iure, quam tamen ad omnes gratias aut priuilegia extendi contra Iuris Regulas non oportet.
5 Sic Renūciatio beneficij, vt etiam collatio teſtibus probatur c. 2. cum Bal. in fi. de reſt. ſpol. Item ampliatio beneficij c. auditis ex Dec. de reſt. in integ. Demum prio-

ritas gratiæ Gl. in c.duobus ver.ſi non appareat de Reſcr. in 6.& in c.ſi a ſede ver.nec appareat de præb.in 6. At nec mirum (aiunt quidam) nam prioritatem gratiæ poſſunt reminiſci teſtes,tenorem vero totius Priuilegij memoriæ habere difficillimum eſt. At quid carpunt alij) ſi priuilegium in vnico puncto conſiſtat,vt eſto Doctor?

6 Tandem Priuilegium quaſi donatio eſt; donatio vero teſtibus perficitur §. perficiuntur Inſt. de Donat. Quod ſi vnica ſcripturæ probatione coanguſtaretur, minueretur admodum authoritas Principis concedentis, quod inconuenit all. c.in præſentia de Renunc. c. cauſam de Re Iud. cum ſim.

Ripa num. 52. non ſatis cautè diſtinguit gratiam,quæ ſit cōtra ius,ab ea,quæ ſecundum Ius.At plurimorum reſolutio fuit,in probandis priuilegijs communiter ſcriptura opus eſſe,quandoq. tamen teſtibus probari,vt p ſi caſu pereant inſtrumenta, ſi nulli tertio præiudicent, ſi conſuetudo ſit huiuſmodi, & conſim.

7 Ego cum Dec. regulam ſtatuo, non requiri ad probationem literas, niſi hoc a Iure nominatim exprimatur, quod exiſtimat Sanch. cum alleg. de Matrim. lib. 3. diſp. 35. num. 10. iuribuſq. comprobat, atq. exemplis. Adde Boſch num.117.

Atq. hinc ceſſant oppoſita omnia.Aut .n. ſcripturam præſeferunt ex eo quod frequen ius contingit,aut illam ſingulariter exigunt,quo caſu etiam ſingulare eſſet, vt gratia deperdita teſtes admitterentur, licet nullibi probetur ſingularitas huiuſmodi, ſed vbiq. magis, quod communi iure effici oportet.

8 Apparet modo, quid nam vulgari quæſtioni reſpondēdum ſit An gratia verbotinus facta à Pontifice expiret, ſi nondum ille expeditis literis moriatur. Neq. enim expirat,niſi eo caſu quo ſcriptura nominatim quæritur.

9 Ex his illud collige, a quo plurimi aberrant. Cum literarum expeditio quandoq. ſit neceſſaria,quādoq. non ſit; cæterum vbi neceſſaria eſt, non niſi ad probationem deſideretur, profecto quoad ſubſtantiam etiam ante literarū expeditionem gratia perficitur; quare licet in foro externo minime ſuffragetur, in foro tamē interno omnino valet,eaq. omnimodo vti poſſumus.Vide Maſcar.cum all.de

Probat.

Probat vol.1.concl.845.num.30.Suar.ibid.num. 3. Sanch. cum all. lib. 8. de Matr.diſp.29. num.4. vbi de neceſſitate ſcripturæ late diſputat per Reg. Cancell. & adde Reper. hic.

10 An autem Principis mandatum ſcripturæ probatione indigeat, aperitur ex prædictis; diſputat autem ferret. num. 17.

Ego duo ſtatuo 1.ſcripturam non eſſe mandato eſſentialem, vt nec rebus cæteris, in quo multi hallucinantur 2. inter ea Principis mandatum connumerari oportere, quæ generaliter ſine ſcriptura probari nequeant, d.l. vni C. Mãda. d.c.1.Extr. comm.de elect. Niſi tamen Principi aliter placuerit ex cauſa c.nobiliſſimus 97.diſt. Hactenus Rub.

# LAVS DEO.

# AD CAP. PRIMVM.

## DE CONSTITVTIONIBVS.

### *BREVIS COMMENTARIVS.*

*Coegere circulares diſputationes, quæ fere cum Rubricarijs quæſtionibus terminari ſolent, vt Rubricæ molem latius extenderemus, nec leuiculis quibuſdam omnino abſtineremus, quæ præuiſa irrideri, ex tempore oppoſita quandoq. eruditiorum mentes exagitare ſolent. Nunc paulo anguſtioribus finibus primi capitis explicatio concludenda eſt, vtilitatiq. ſeruiendũ, ac tempori.*

## Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus.

*Auctor primi cap.* 1.
*Generalis Concilij authoritas quæ.* 2.
*Conciliaribus decretis nemo obligatur abſq. confirmatione Pontif.* 3.6.
*Quid ſi legatus adſit Concilio?* 4.
*Confirmationem Papæ in certa, ac determinata re haberi oportet.* 5.
*Quid valeat Concilium exorto ſchiſmate.* 7.

1 Verba primi cap. Concilium Meldenſe protulit c. 34.
2 tit.3.Concil. Quæ vero ſit in ferendis legibus Concilij authoritas, Theologi diſputant, apud quos illud communiter obtinuit, generale Concilium, ſeu Cœtum Eccleſiæ vniuerſalem non habere legiſlatiuam poteſtatem immediate acceptam à Deo, atq. eatenus habere ſupremam,

manı,atq. infallıbilem authoritatem, quatenus ipſe Pontifex Concilio præeſt, vt diſerte ſcribitur in c. ſignificaſti de elect.h.u. *Aiunt in Concilijs ſtatutum non inueniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem & facta ſint, & robur acceperint; & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas.* De comm. Salaſ. de ll. q. 95. tract. 14. diſp.8.Sect. 3. num. 25. Vbi de hac ipſa re latiſs. diſputat.

Statues igitur, Concilio ſub Pontificis obedientia congregato nullam a Iure Diuino Iuriſdictionis authoritatem immediate acquiri, nam hæc Petri eſt, ſed tantam acquiri, quantam ei Pontifex contulerit,a quo condendarũ legum poteſtatem non accipit, ſed conditarum cõfirmationem.

Praxim autem Suar. habet de ll. lib. 4. c.6.num.2.a quo tria hæc accepimus.

3 Primum eſt, Conciliaribus decretis neminem obligari abſq. confirmatione Pontificis,quod perpetua traditio, & obſeruatio generalium Conciliorum ſatis oſtendit. Quod ſi Prouincia aliqua, aut peculiaris Eccleſia decretis huiuſmodi ante confirmationem obtemperet, aut ſponte id facit,aut propriorum Prælatorum iuſſu, ſic enim Tridentini Concilij decreta, antequam confirmarentur, apud Hiſpanos ſeruari cœperunt.

4 Quid,ſi Pontificis legatus adſit Concilio? Reſpondendũ; ſi is cum tali poteſtate miſſus a Pontifice præſit, vt leges a Concilio latæ abſq. vlla confirmatione promulgari queant, videri leges illas quaſi antecedenter confirmatas a Pontifice.

At iſtud nuſquã fieri ſolet, niſi etiam in peculiari re inſtruatur Concilium à Pontifice,&,quid præcipiendum, cauendumue in ea ſit Pontificio Oraculo doceatur, namq. confirmationem Papæ in certa, determinataq. re eſſe oportet,vt certam habeat, atq. infallibilem adſiſtentiam ſpiritus Sancti, quippe incertum adhuc eſt, habeat ne Concilium adſiſtentiam huiuſmodi,quæ Pontificiam confirmationem præcurrat.

5

6 2. eſt,ſi fuerit Concilium coactum præter authoritatem Põtificis certi,atq. indubitati in Eccleſia,ſeu legati eiuſdẽ, nihil agere, quaſi deficiente capite, neq. poſſe latis ab eo legi-

legibus Eccleſiam obligari, niſi fuerint poſtmodum à Põtifice confirma æ quod certiſſimum eſt.

§ 3. Si propter exortum ſchiſma fuerit deficiente Pontifice Concilium congregatum, ſolum habere Eccleſiæ defenſionem, ſedandiq. tumultus authoritatem per electionem certi Pontificis, cæterarumq. rerum conſtitutionem, quæ in eiuſmodi finem conducant, cæterum perpetuas leges vniuerſæ Eccleſiæ ſtatuere non poſſe.

Quod & vſu conſtat, & ratione, quia nec poteſtatem huiuſmodi ab vllo diuino Iure poſitiuo habet, nec ab vllo poſitiuo humano, nequam a peculiari quopiam Pontifice, quem ſupponimus non eſſe creatum. Habet igitur poteſtatem, quæ diuinum ius naturale conſequitur in quolibet corpore myſtico, vt poſſit ſe ipſum regere per particulares Principes vnitos in vnum corpus, quando deeſt ſupremum caput, quæ poteſtas ſui natura præfatos fines, modumq. non excedit.

Nouimus, quæ ſit Concilij authoritas; nunc rem ipſam aggredimur, & quot ſunt verba, totidem fere partes erunt noſtræ interpretationis.

# CANONVM.

## PRIMA PARS.

*Canonis appellatio generalis, & ſpecialis.* 1.
*Verba ex proferentis mente, & conditione vſurpanda.* 2.
*Generalis Concilij geſta Pontificia authoritate indigent.* 3.6.
*Canonis appellatio generalis.* 4.7.
*In re fauorabili verba generalius accipi oportere.* 5.

1 DVo not. Abb. num. 1. quorum alterum præcipuum, appellatione generali Canonis quamlibet Eccleſiaſticam, ſeu Canonicam conſtitutionem ſignificari, quia Canõ græce dicitur, quæ latinæ Regula; vt dixi initio Rub. At ſtrictiori acceptione ſumpto Canonis nomine, ſolam Conciliarem conſtitutionem propria quadam vſurpatione connotari all. quod ſcrib. 3. diſt. in ſumm. quo loci inter

ter hæc nomina conſtituuntur diſcrimina ,.ſ. Canonem, Decretum,Decretalem Epiſtolam, Dogma,Sanctionem , Interdictum, Mandatum. & c. Vide Milia par. 1. num.1. & ſequ.

Hic triplex quæſtio vertitur.Prima,quæ ſit acceptio Canonis hic 2.Contineantur ne Canonis appellatione generales conſtitutiones tantum,vel ſpeciales etiam 3. An etiam Epiſcoporum decreta eo nomine ſignificentur.

In prima Quæſt. Concedit Dec. generale præceptum huius primi cap. omni Eccleſiaſticæ conſtitutioni conuenire poſſe c. ſi Romanorum 19. diſt. At nomen Canonis hic
2 prolatum à Concilio de ſola Conciliari conſtitutione accipi oportere;nam verba ex proferentis mente, & conditione vſurpātur l.plenum §.equitij ff.de vſu,& hab. Quocirca ſi Rex de iure meminerit ſimpliciter,eo nomine ius Regium indicatur.Bal.c.cum veniſſent num.2. De eo, qui mittit in poſſeſſ.

Confirm. Etenim , ſi quamlibet Canonicam Sanctionem Concilij verba amplecterentur, tunc Meldenſe Conciliū, a quo Conſtitutio hæc generalis emanauit, cęterorum omnium Conſtitutionibus & Decretis, etiam Pontificijs, vim,ac robur præbuiſſe videretur, quod abſurdiſsimum ,
3 quippe ea potius,quæ a generali Concilio geruntur , indigent Pontificis authoritate , & confirmatione d. c. ſignificaſti de elect.

Ex aduerſo ſunt omnes,& quod magis puto ipſe Dec. exiſtimans quamlibet Eccleſiaſticam conſtitutionem hic , & vbiq; niſi aliud exprimatur , appellatione Canonis contineri.

4 Nam *Canonis* verbum generale eſt. c.1.3.diſt. & ibi in Sum. *Eccleſiaſtica Conſtitutio Canonis nomine cenſetur* . & c. Regula §. porro ead. diſt. *Canonum alij ſunt decreta Pontificum , alij Conciliorum* Quibus adde Clem 1. de Priuil. in princ.& c. ſuper eo. 2. de Appell.& c.1. de op. no. nunc. cum Simil .

5 Adduntur rationes leuiſſimæ , quarum illa potiſs; in re fauorabili verba generalius accipi oportere , vt fauores amplientur . Abb. cæteriq; Pontificij ad c. Rodulphus de Reſcrip. At in eo fauor omnium verſatur, Canonum ſtatuta ſeruari ab omnibus , per quæ reformentur mores c.

factę.

factæ. 4. diſt. actioneq; hominum ad finem æternæ beatitudinis dirigantur, vt in proem. Decretal.

6 Neq; vrget ex aduerſo poſita. Ad. 1. R. quod ſup. Summum Pont. præeſſe generali Concilio quaſi caput, atq; idcirco ab ipſo robur, & authoritatem accipere, quicquid à Concilio fit. d. c. ſignificaſti. Hinc Conciliaria ſtatuta videri quaſi Pontificis, quippe omnia noſtra facimus, quibus authoritatem noſtram impartimur, ait Iuſt. in l. 1. vers. *omnia enim* C. de Ver. Iu. Enucl.

Ita nec vrget confirmatio, quicquid demum garriat Riminal. num. 21. qui Conciliaris poteſtatis commentitia quadam latitudine fiſus laborat vſq; ad riſum.

In eo vero, quod Bal. monet, volunt referre, an in numero vnius concipiatur ſermo, vel plurium l. duo ſunt Titij ff. de teſtam. tut. c. gaudemus de diuor. ibi. *Non dixit vxoribus, ſed vxore.* At ego omnia ex ſubiecta materia dijudicari exiſtimo. Vide Dec.

Nec mihi probatur diſcrimen illud Abbatis, immò Gloſatoris in Sum. 3. diſt. qui all. tex. in c. alterationis de Biga. lib. 6.

7 At eo loci nihil omnino de hac re conſtituitur, aut agitur. exiſtimo vero, Cannonis appellatione quamlibet conſtitutionem æque proprie ſignificari.

*Speciales Canones qui.* 1.
*Eorumdem qualitates, & conditiones.* 2.
*Particularium Canonum ſtatuta ab omnibus cuſtodienda, & quomodo.* 3.
*Conſtitutio ad certas perſonas directa quodammodo generalis.* 4.
*Canon tripliciter cuſtoditur.* 5.
*Priuilegia corpore Iuris clauſa an extendantur ad omnes, latiſs. diſcuſſum.* 6.
*Priuilegia Iuris corpore inſerta non mutantur.* 7.
*Iuris correctio non præſumitur.* 8.
*Priuilegia paſsiue extenduntur.* 9.
*Perſonalium conſtitutionum diſtinctio.* 10.

IN 2.quæſt.Gl.1.recepta frequentius,teſte Milia 3. p.num. 2. exiſtimat, appellatione Canonum generales tantum
1 contineri, non etiam ſpeciales. Sunt autem ſpeciales, qui certis quibuſdam perſonis, locis, cauſis, & temporibus conſtituuntur, de quibus plane Iſid. cap. ſciendum 29. diſtin. ſingulorum vero exempla habes cap. cum longe 63. diſt. cap. hinc eſt 16. quæſt. 1. cap. 1. 48. diſt. cap. quædam 35. quæſt. 3. cap. cum ordinem de Reſcrip. & alibi paſſim.

2 Probatur ſententia, quia particulares Canones ab omnibus cuſtodiendi neceſſario non ſunt, neq; omnibus, ſint locis, aut cauſis, aut temporibus, cum neq. trahantur ad exemplum, neque ſtatutas perſonas, loca, tempora, cauſaſue transgrediantur cap. ſtatuimus §. his omnibus 61. diſtin. c. non autem c. petijſti 7. q. 1. l. 1. ff. de conſt. Princ. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. Nat. d. cap. ſciendum, & conſim. inf. alleg. Neque vtilitati communi conſcribuntur, vt generalia iura c. erit autem lex 4. diſt. ſed priuatum ius, priuatamq. vtilitatem reſpiciunt c. priuilegia 3. diſt.

Contrariam ſententiam tuetur Bero. cum alleg. num. 49. Milia 3.p.num.3. Namq. horum verborum interpretatio habenda eſt huiuſmodi, vt generalium Canonum ſtatuta
3 ſint vbiq. ſeruanda ab omnibus, particularium vero ſeruanda ab omnibus diſtributiue ſint in ijs perſonis, locis, cauſis, & temporibus, quibus præfinita ſunt. Etenim, ſi particularibus locis, aut perſonis indulgeatur a Principe aliquid, quiſq. conceſſionem factam infringere, aut retractare, aut quomodolibet impugnare prohibetur. Quod etiam in ſingulari quaq. cauſa, aut tempore ſtatuitur, cuſtodiendum ab omnibus generaliter, atq. indiſtincte eſt eo tempore, & cauſa; vt ſemper, & vbiq. cũ diſtributione verum ſit, quod a Concilio generaliter præcipitur. Adhæret, quod eleganter Theod. Imp. in l. 2. C. de Il.

4 Nec refragatur, quod contra adducitur; Etenim ſoluitur ex eo quod 3.p.Rub.dixi, omnem legem, ſeu Conſtitutionem, vtcumque ad certas perſonas dirigatur, quodammodo ſemper generalẽ eſſe, & ad omnes pertinere, quod priuatã aliquã perſonam formaliter reſpiciat, virtute vero obliget plurimos. Quod Miliano ignotum minime fuit,

qui

qui ibid. diſtinguit, tripliciter cuſtodiri Canonem poſſe; Actiue ſimul, & paſſiue, quoties alius contra alium inuicem Canone vtitur. Actiue tantum, quoties vtitur quis Canone contra alium,ſed alius contra vtentem nõ æque. Paſſiue tantum, quoties tenetur quis ſeruare priuilegij canonem alterius gratia,aut fauore emiſſum, ipſe autem eodem canone vti nequit.

Qui igitur actiue ſimul, & paſſiue cuſtodiuntur ab omnibus, generales ſunt; particulares vero ad eos actiue tantum pertinent,quorum gratia conſtituuntur, paſſiue ad omnes ita,vt ſemper maneat, hoc ſaltem modo a cunctis hominibus Canones cuſtodiri oportere, qualeſcumque illi ſint.

6 Sed alij aliter ſoluunt, contenduntq. priuilegia corpore Iuris clauſa porrigi ad omnes, fieriq. generalia Iura.

Probant ex l.Dorotheum,& l. Doctitij C. de Decur. lib. 10. quibus,Dorotheo, Doctitio, & alijs quibuſdam priuilegia conceduntur, quæ quaſi omnibus cuſtodienda tradantur, Iuris etiam corpore inſeruntur.

Sic perſonalis Canon pro duobus Cardinalibus depoſitis generalis ad omnes efficitur,qui eis auxilium, conſilium,aut fauorem præſtiterint c.vni.§.omnem de ſchiſm.lib.6.

Item iuramentum prohibitum ſubire Clericis ex conſtitutione D. Marci quibuſcumq. alijs clericis interdici videtur cap.1.cum Gl.ver.Eccleſiarum de Iuram.calum.

Et,quod vni Timoteo præcipit Apoſtol. c.ignorantia 30.diſt. omnes Chriſti Sacerdotes eruditos facit cap. miramur 61.diſtin.

Denique ſi fuerit inhabili conceſſa teſtandi facultas, iſq. ſibi hæredem aliquem fecerit, obtinet hęres aduerſus omnes poſſeſſores l. ſi quando in princ. cum not. C. de inoff. teſtam.

Confirm. maxime ex §. quibus 1 conſt. Cod.ibi *ſicut & illas* & §.hunc igitur C. de iuſt. Cod. confirm. ibi. *Vel quæ ad certas perſonas* ex l. vlt. in princ. C. de ll. quibus diſerte exprimitur, ad certas perſonas reſcripta Iura generalium Conſtitutionum vim obtinere; atq; ita comm. exiſtimatum eſt ferret cum alleg. num.37.

7 Sed nihil minus. Nam priuilegia corpore Iuris inſerta non mutantur, ſed adhuc ſunt, & dicuntur priuilegia,

nec

nec perſonas tranſgrediuntur vllatenus, niſi nominatim fuerint à Legumlatoribus extenſa, vti factum nouimus à Bonif. Pont. in c. conſtitutionem de Regular. in 6. & alibi paſsim in Iure. Quæ etenim à communi Iure exorbitant, ad conſequentias trahenda non ſunt c. quæ à Iure communi de Regul. Iu. in 6. etiam ex paritate rationis c. ſane de Priuil. cum not. c. non exemplo 26. quæſt. 2.

Nec deſunt exempla; Etenim complurima ſunt Iuri inſita priuilegia, quæ non porriguntur ad vniuerſos; quale priuilegium Ciſtercienſibus indultum in c. cum ordinem de Reſcrip. Item Marito in l. Maritum ff. ſol. Matrim. Item Patri, Patrono, & Militi l. ſunt qui cum 2. ſeq. ff. de Re. Iud. Iun. Gl. in genitates in l. penult. C. de decur. lib. 10. cum Bar. Item Romanæ Eccleſiæ c. ad audientiam cum ſeq. de Præſcrip. Auth. quas actiones C. de Sacroſ. Eccl. ibi. *Sola Romana Eccleſia gaudente, &c.* Item Apoſtolicæ Sedi c. 1. c. quanto de transl. Epiſc. c. quod translationem cum Gl. in ver. reſeruata de off. lega. Item Scholaribus Bononienſibus c. 1. loca. Deniq; Dorotheo, &c. d. l. Dorotheum d. l. Doctitij. Vide Gl. & Scrib. in d. c. quæ à Iure d. c. ſane d. c. priuilegium, cæteroſq; alleg.

8 Suadeturq; ratione. Etenim, ſi ſpeciales Conſtitutiones aduerſus communia Iura quibuslibet indultæ, iurium tamen communium corpore inſertæ generales fierent, corrigeretur, ac propemodum deſtrueretur communis Iuris maxima pars. Abſurdum eſt autem neq; credendum omnimodo, tot vigilijs excogitatum ius inſitis priuilegijs vllatenus euerti poſſe arg. l. ſi quando C. de inoff. teſtam.

9 Quæ ex aduerſo Adducta fuere, facili negocio tolluntur, nam diſtinctio duplex habenda. Altera eſt, quam poſuimus, Priuilegia aut corpore Iuris inſita, aut non, actiue nō extendi, neq. ex hac parte generalia cenſeri, ſed paſſiue tantum. Atq. adeo conciliatur tex. in d. l. Dorotheum d. l. Doctitij d. c. vni §. omnem d. l. ſi quando cum ſimil. & quæ ſunt.

10 Altera eſt Gloſatoris in d. c. 1. ver. Eccleſiarū de Iuram. calum. Aut enim quod certis perſonis reſcribitur, priuilegium vere eſt quod accidit, vbi aduerſus commune ius ſpeciale aliquod conceditur, & tunc nulla fit extenſio, licet iuris corpore claudatur, quod probant omnia, quæ pro 2. op. adduximus.

Aut

Aut non eſt Priuilegium vere, ſed conceſsio aliqua, vel alia quælibet conſtitutio, quæ certæ perſonæ reſcribatur, & quidem ſecundum Ius Commune,& tunc non diffitebor, iuris corpore ſaltem clauſas generales fieri. Ita conciliatur tex. in d.c.1.de Iuram.cal. d.c. miramur d.§. quibus d. §.hunc igitur d.l.vlt. cum ſimil.

Quæ omnia cum certiſsima ſint, fruſtra in ſolutione quæſt. laborant Dec. 2. lect. num. 4. Bero. 49. ferre 38. & alij quidam.

Quæ ſit vtilitas, ſi Iuris corpore priuilegia inſerantur tradit idem ferre num.40.

| | |
|---|---|
| *Epiſcopi legiſlatiuam habent poteſtatem.* | 1. |
| *Epiſcopalis conſtitutio non ligat omnes.* | 2.6. |
| *Canones ab Epiſcopalibus conſtit. ſegregantur.* | 3.8. |
| *Canonis appellatio quæ comprehendat.* | 4.5.7.8. |
| *Genus quandoq. cum ſuis ſpeciebus exprimitur.* | 7. |
| *Iuris appellatione conſuetudo ne contineatur.* | 4.9. |

1 IN 3. quæſt. ſtatuendum hoc imprimis eſt, Epiſcopos habere legiſlatiuam poteſtatem, vel ea ſit à *I*ure diuino, & immediatè à Chriſto Domino, licet cum ſubordinatione, & dependentia à Pontifice, vel ſit ab ipſo Pontifice immediatè, humanoq; *I*ure, quod diſputat poſt Caſtr. Vaſq. & alios, Franc. Suar. de ll. lib. 4. c. 4. num. 3. ibid. Salaſ. quaſt. 95. tract. 14. diſp. 8. ſect. 4. num. 28.

Cæterum appellatione Canonum Epiſcoporum Conſtitutiones includi negant Bal. num. 2. Dec. n. 4. & 7. alijq; cum eod. Suar. ibid. lib. 5. c. 1. num. 8.

Probant 1. Nam ſecus Iuris communis nomine Municipale etiam Ius ſignificaretur, quod abſonum; cum hic præcipue Canonis appellatio pro ea conſtitutione vſurpetur,
2 quæ ab omnibus cuſtodiri debet. Atqui Epiſcopalis conſtitutio non ligat omnes c.2. h.t.lib.6.

3 2. Quia Canones à Synodalibus, ſeu Epiſcopalibus conſtitutionibus ſegregantur in quibuſdam Iuris locis,ſed potiſsimum clem.1.de Priuil.ibi. Aut qui *Excommunicatos à Canone, &c. vel a ſententijs per ſtatuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatas &c.*

4 Deniq. Quia Canonis appellatione generale Ius Pontificium

ficium ſignificari debet, ſicut appellatione Iuris ambigua ius Romanorū commune. §. ſed quoties Inſt. de Iu. Nat. c. 3. de eo, qui mitt. in poſſeſſ. à quo colligitur, Iuris nomine conſuetudinem minimè contineri, atq; idcirco palam exprimi oportere.

Sed contrariam partem contueri videntur Fely. num. 2. Bero. num. 14. Milia. 1. p. num. 14. Quia Canon rectè viuendi norma dicitur c. Regula 3. diſt. quam etiam Epiſcopalis conſtitutio præbet. Hinc etiā Sanctorum Patrū, quorum aliqui Epiſcopali dignitate fulxerunt, decreta Canonum nomine prætiſulantur c. de libellis 20. diſt. Et prouincialium Conciliorum, quæ authoritatibus Patriarcharum, Primatum, aut Metropolitanorum celebrantur, decreta Canones appellantur d. c. Regula §. porro.

6 Ad 1. R. negando, quod ſupponitur, Canonis appellatione generale Pontificium Ius tantummodo ſignificari Epiſcopales autem conſtitutiones, qua parte ligant omnes ſubditos, generales ſunt, deq; eis veriſſimum eſt ita loqui, omnes Epiſcopales conſtitutiones ab omnibus ſubditis ſeruari oportere.

Circa 2. ex d. Clem. 1. Ripa num. 17. Andr. de Ex. num. 7. Riminal. num. 28. laborant vſq; ad necem, quaſi verò obſcuri eſſet aliquid aut in verbis, aut in ſententia. Statuo igitur imprimis communione priuari eos omnes, qui excommunicatos non modo à Canone, verum etiam à Sententijs per ſtatuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis abſoluerint aliquos, atq; inde excipi ſolummodo caſus à Iure expreſſos, & Apoſtolicæ Sedis priuilegia. Miror profectò inueniri potuiſſe, qui exiſtimauerint, quod de ſententijs dicitur, ad exceptionem pertinere.

Exeinde R. Canonis nomen generale eſſe, eoq; Epiſcopales conſtitutiones quaſi ſpecies comprahendi. Verum non eſſe nouum, quandoq; genus exprimi cum ſuis ſpeciebus ex cauſa, vt hic, & Rub. C. de ſeruit. & aqua. alleg. l. ſanctio legum ff. de Poen. l. doli Clauſula ff. de verb. obl. ſicut neq; illud nouum eſt (ait Vlp.) vt lex ſpecialiter quibuſdam enumeratis generale ſubijciat verbum, quo ſpecialia complectatur. l. ſi ſeruus ſeruum §. inquit lex. ff. ad l. Aquil.

Sed fatebor, nomine Canonis eminenter generale Ius

H ſigni-

ſignificari atq; idcirco à ſententijs per ſtatuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis recte diſtingui, nec tamen prohiberi, quin appellatione Canonis Epiſcopalia Iura comprehendi poſſint. Sic appellatione Iuris ſimpliciter generale quiritum Ius ſignificari volumus §. Sed quoties Inſt. de Iu. Nat. nec tamen negamus, municipalia decreta generali Iuris, apppellatione contineri; ex quo etiam vltimum arg. ſoluitur, in quo Milia. num. 30. inutiliter laborat.

Non obſt. quod a ducitur ex d. c. 3. de eo, qui mitt. in poſſ. ibi *Secundum ius, & bonam terræ conſuetudinem*. Nec enim dubitari oportet, generali Iuris appellatione conſuetudinem quoq; ſignificari poſſe, vt quæ partem non ſcripti Iuris facit §. conſtat. Inſt. de Iu. Nat. Quare argum. confirmat magis, quod diximus, quandoq; genus exprimi cum ſpeciebus, quæ ei inſint. Niſi forte dixeris, localem conſuetudinem facti eſſe, & in facto conſiſtere. cap. 1. de conſtit. in 6. ac perinde ſecerni quandoq; à Iure.

# STATVTA

## SECVNDA PARS.

*Statuti appellatio latiſsima.* 1.
*Ius commune, ac municipale ſpecie diſtinguuntur.* 2.
*Quod minus, non trahitur ad id, quod plus, ſed contra.* 3.
*Conciliorum ſtatuta generali canonum appellatione cenſentur.* 4.
*Clauſula, non obſtantibus ſtatutis quid operetur.* 5.
*Duplex verborum ſignificatio in Iure.* 6.
*In re fauorabili latior fit interpretatio.* 7.

HIc primo diſputatur; vtrum ſtatuti appellatione commune etiam ius includi videatur. At importune, neq; enim de ſtatutis ſimpliciter, ſed de ſtatutis canonum ſermo eſt, vt c. licet de translat. Epiſ.

2. De ll. abrogatis varie differitur an vllatenus proſint allegantibus.

3. De legibus conſultiuis, quatenus valeant in Iudicio.

1 In 1. queſt. ſtatuti nomine iuribus prope innumeris non modo Municipale Ius, verum etiam commune ſignificatur. c. 1. de Renum. in 6. c. ſtatutum de Reſcr. in 6. c. ſtatutum 2. & c. ſtatuta de hæret. in 6. c. ſtatutum de Elect. in 6. c. 1. de appell. in 6. & conſim. quæ quandoq; male, atq; imperite recitantur.

Nec dicant, vel ex perſona Papæ loquentis, vel ex ſubiecta materia dijudicari, quid nam ſtatuti appellatione veniat in prædictis; fit enim quæſtioni ſatis, ſi probetur, ſtatutorum nominibus communes leges quandoq; prætitulatas fuiſſe; quod Iure Pontificio certum eſt. At Cæſarei Iuris corpore nuſquam tale nomen offenditur, licet *ſtatuendi* verbo ſæpius vſi fuerint Iuris Conſulti, & Legumlatores l. 1. §. hec autem verba ff. quod quiſq; Iu. &c. ibi. *Quod ſtatuerit, qui Iuriſdictioni praeeſt.* & alibi ſæpiſſime, quo dec. arguit, ſtatuti nomen generale eſſe, & pro quacunq; deliberatione, & decreto accipi poſſe; quiq; Decium reprehendunt, aſſerentes, quandoq; nomen aliquod ita vſurpari in Iure, vt propriam aliquam ſignificationem habeat, qua verbum omnino careat, non omnino arguendi ſunt, accidit enim ſæpe, ſed hic confunduntur ex alleg. Iur. & præcipue ex d. c. 1. de Renun. in 6. ibi *Authoritate Apoſtolica ſtatuit, & decreuit* & paulo poſt. *Nos igitur, ne ſtatutum huiſmodi temporum curſu*. &c.

Sed nihilominus contrariam Sententiam tuentur Bero. num. 39. And. de ex num. 44. cum alleg.

2 Mouentur 1. quia commune, & Municipale ius ſpecie, ſeu forma diſtinguuntur, atq; adeo altero poſito non ponitur alterum. arg. §. plebs autem Inſt. de Iu. Nat. vbi Scrib. poſt Philoſophi.

Sed hic non diſputamus de ſpecie, aut forma municipalis Iuris ſed de nomine ſtatuti, quo contendimus, non minus commune Ius ſignificari poſſe, quam Municipale.

2. Arguunt; nam quod minus eſt, non trahitur ad id, quod plus, ſed contra; ſicut nomen Curatoris non trahitur ad Tutorem, ſed contra. Quare ſtatutum, quod eſt minus ad Ius commune trahi non poterit, quod eſt plus.

Sed argumen. ſupponit, preſſius, atq; anguſtius nomen ſtatuti accipi oportere, quam & vis nominis, & prælaudatorum Iurium acceptio patiatur; hoc autem eſt, quod negamus.

3. ex c. 1. de Conſtit, in 6. quo loci de ſtatutis mentio fit ad differentiam Conſtitutionis, & Canonis.

Sed argum. retorquetur, nam diſtinguuntur à Pontifice cum adiuncto locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium.

4. ex c. Regula ſ. porro 3. diſt. *Porro Canonum alij ſunt decreta Pontificum, alij ſtatuta Conciliorum.*

4 Sed & iſtud retorquetur; tum quia Conciliorum ſtatuta generali Canonum appellatione cenſentur, tum quia generalibus Concilijs præeſt S. Pontif. quocirca Conciliares leges communes ſunt, & cuſtodiendæ ab omnibus, vt hic, & tamen ſtatutorum appellatione nuncupantur.

5 5. ex eo, quod in praxi vbiq; obtinet, ex clauſula *Non obſtantibus ſtatutis* communi Iuri nullum præiudicium fieri, vti ex Clauſula *Non obſtantibus Priuilegijs quibuſcunq;* non derogatur priuilegijs Iuris cõmunis corpore inſertis.

Sed quidam hoc recte in praxi obtinere exiſtimant, vt communium legum correctio vitetur. l. 1. C. de inoff. dotib. l. ſi quando C. de inoff. teſtam. Mihi vero quod in foro recipitur, nullum modo negocium facit.

Deniq; ex communi vſu loquendi, de quo facile conſtiterit, atq; ideo fruſtra impugnatur.

6 At illud ego ſæpiſſime admonui, plerumq; in Iure contingere, vt nomen aliquod, ſeu verbum duplex habeat ſignificatum; Alterum ſibi connaturale, & genuinum, quo inſpecto ſtatuti appellatio quamcunq; deliberationem, decretum, aut legem conſignificat, non ſecus, ac ſtatuendi verbum, à quo deriuatur; Atq; hinc depromptum eſt ridiculum illud, appellari ſtatutum, quaſi ſtatum publicum tuens. Alterum à Iuriſperitis vſurpatum, communiq; eorum vſu perceptum, vt propria quadam ſtatuti appellatione municipale ius contineatur.

Quare non reſpuerem hic,quod alij diſtinguunt, in re fauorabili appellatione ſtatuti ius commune comprehẽdi poſſe,quinimmo,vt alij volunt, & conſuetudinem, & Iudicum ſententias. At in re odioſa ſecus conſtitui oportere, niſi aliud exprimatur, præualente .ſ. communi loquendi more l.vt Alphenus vbi ſcrib.ff.de verb. ſig.

*Lex abrogata an, & quando recitari poſsit.* 1.2.
*Cur quandoq. allegetur.* 3
*Quæ pœna recitantium correcta iura.* 4.
*Falſum ne dicatur illud,quod primordium habet veritatis.* 5

IN 2. quæſt. princ. duo diſputantur. Primum eſt, an, & quando iura abrogata poſſint allegari ad cauſarum deciſiones,& quæ ſit allegantium pena 2.poſſint ne indirecto allegari, atq. ita ex argumento, vel ex ratione. In 1. art. tria ſunt 1.an poſſint allegari 2.quando 3. quæ ſit pœna.

1 Et quidem allegari poſſe negant omnes communiter; adeo aperte prohibet Iuſt. Imp. correcta Iura, ſeu abrogata in Iudicio poſſe recitari §.hũc igitur C.de Iuſt.C.cõf. l.2.§.hæc igitur omnia C.de ver. Iu. enucl. quibus adde l. vni §.vlt.C. de no. Cod.fac.l.vni §.his igitur C. de emend. Cod. l.vni. in princ. C. de lat. lib. toll. &c. Eademq. concluſio ad Municipalia Iura protenditur, vt correcta, ſeu abrogata ſtatuta non poſſint allegari, & qui eorundem obſeruantiam iurauerit, eo ipſo quo abrogantur, iureiurando ſoluatur. Vide Scrib. in l.omnes populi ff.de Iuſt.& Iu. And.de ex.num.158. cum alleg.

2 Excipiunt tantum, ſi forte abrogata Iura cum nouis iuribus conueniant,quod accidit, quãdo nouus aliquis legiſlator cunctis legibus abrogatis, quæ ante ipſum latæ fuerant,nouas condit prioribus conformes.

3 Ego vero exiſtimo, nullam tunc eſſe iuris veteris authoritatem, ac proinde nouo iuri omnia tribuenda fore. Itaq. vel antiqua lex adducta cenſebitur, vt per eam declaretur ius nouum, ſicut ad declarationem Iuris corrigentis interdum recitatur ius vetus, vt in princ. Inſt. de Teſtam. Vel, vt vetuſtioris iuris veneratione noui Iuris authoritas exornetur, quod fieri poſſe conſuluerunt Corn. & Gozad. apud And. de ex. num. 175.

4 Atqui correcta *Iura* afferentes in ius pœna *falſi* puniũtur, ſic enim aperte ſtatuit *Iuſtin.* in d. §. hunc igitur, & in d. l. 2. §. has itaq. Adeo, inquam, aperte, vt maxime admirer, quoſdam auſos contradicere, qui cum nequeant rem aliter ſubterfugere, dicunt, ex *Iuſtinianeis* iuribus præfatæ pœnæ ſubigi recitantes correcta *Iura*, quia *Imp.* vlterius proceſſit apponendo penam. Hoc autem quam puerile ſit, nemo eſt, qui non intel ligat.

5 Non tamen omnino leuis eſt difficultas, quæ obijcitur ex l. cum filius §. hæres ff. de leg. 3. falſum non eſſe illud, quod primordium habet veritatis, quale habet abrogata lex, quæ ante viguit.

At occurritur, falſum non eſſe, quod primordio veritatis adiuuatur, quando in eo, quod mutatur, manet præcipua voluntas diſponentis, vt d. §. hæres; nihil enim intererat, ex qua cauſa deberetur, dum tamen deberetur. At quando voluntas omnino variatur, vt in abrogato iure, tunc illud quoq. falſum cenſeri, quod initium habuit veritatis.

*Pontifices, & Impp. ex abrogatis iuribus ſumpſere argumenta.* 1. 4.

*An, & quando abrogata lex in arg. adduci poſſit, diſtinguitur.* 2. 3.

*Deſtructo exemplari nec illud manet, quod inſtar eius factum ſit.* 5.

HVnc ad 2. Et quidem abrogata Iura in argumentum adduci poſſe, affirmant cõm. Scrib. hic, & in princ. Inſt. de Teſtamen.

1 Mouentur autem exemplis Pontificum, atq. *Imperatorum*, qui ex abrogatis iuribus ſumpſere argumenta. Nãq; Bonif. 8. in c. authoritate de Præb. in 6. conferendarum, præbendarum ordinem ſumit ex l. 2. §. ſi ſit agnatus ff. ad S.C. Tertyll. quæ corrigitur ex l. vlt. & Auth. defuncto C. eod. Tit. Et *Iuſt.* in §. ſed neq. hæres *Inſt.* de Teſtam. ex abrogato iure veteris familiæ emptoris in teſtamento per æs, & libram decidit, inſtitutos heredes teſtimonium præbere non poſſe Teſtatoribus; ſicut etiam Pau. in l. qui filiũ in ſi. ff. ad S.C. Trebel. ex ſublata l. Elia ſentia argumentũ ſumit,

ſumit, annum, quem quis ingreſſus foret pro impleto numerari oportere; quod ipſum alij quoq. ſecuti ſunt.

Negat tamen Dec.num.11.& alij cum ferre.num. 42. Quia vt plurimum videntur Legumlatores per ſigna vniuerſalia correctorum iurium allegationes interdicere, adeo, vt ex omni parte prohibeant allegari; Sic enim Imp. Iuſt.in Auth.de Naut. vſur. in princ. ſtatuit legem de traiectitijs pecunijs *omnino* vacare, tanquam ſi nec ſcripta fuiſſet; & in §.hunc igitur C.de Iuſt.Cod.confir.præcipit, abrogatos Codices *nullatenus* recitari; & poſtremo in l.vni C.de lat. lib. toll. abſurdum prædicat eſſe, ipſa origine rei ſublata eius imaginem derelinqui.

Additur ratio, nam lex, quæ in argumentum adducitur, in ſimilitudinem facit. At, quæ directo nequit allegari lex, etiam indirecto ad ſimilem caſum produci non poterit. Arg. l.in teſtamento 1. ff.de condit.& demon.

2 Exiſtimo referre, an ſimul correcta lege tollatur argumenti ratio, ſiue id, quod fundamentum eius eſt, vel magis argumenti ratio in eo tantum, quod agitur, maneat ſopita, adhuc tamen generaliter vigeat; nam priori caſu veriſſima eſt ſecunda ſententia, poſteriori autem præualet prior.

Ita ex d. §. ſi ſit agnatus non deletur principalius ordo, ſed prærogatiua perſonarum; quare ordinis ratio generaliter manet, & ſolummodo in eo, de quo agitur, ſilet. Licuit igitur ab ordine Argumentum ſumere. Et multo magis in d.§.ſed neq. hæres. Sublato teſtamento illo veteri per æs, & libram, non fuerant ſublata ratio, qua hæres in teſtamento non poſſet eſſe teſtis, quam etiam perelaganter exprimit vir maximi nominis Ant.Fab.de Err.prag.Chil. p.3. deca.66. err. 1. Quare & ab ea licuit arguere. Sic de reliquis.

3 Quod ſi forte in aliquibus deficiat præſens conciliatio, animaduerti volo, nil propemodum eſſe, cur poſſit in argumentum adduci correcta lex, quæ directo non poteſt, neq. enim adeo à lege ſegregatur argumentum legis, vt diuerſi iuris ab ea cenſendum ſit, neq. vſpiam probatur, abrogata iura vllatenus in iudicio oſtendi poſſe.

4 At nec alicuius momenti eſt ratio, qua nituntur, ipſoſmet Legumlatores ex correctis iuribus arguere potuiſſe,

quare & nos idem poſſe c. in cauſis de re iud. Etenim infirmatis legibus robur addere ſupremæ poteſtatis eſt, quæ priuatis hominibus non communicatur. Cur enim abrogata iura non poterit oſtendere, eorumq. authoritatem refricare, qui intermortuis vitam reſtituere, & nouas cōdere valeat? Qui autem vetus illud afferunt. *A boue maiori diſcat arare minor* opportune ſibi, at rei propoſitæ importune concinunt bouis carmen.

Quod ſi communiores traditiones recipere malis, oppoſita facile ſubmouebis.

Nam quod alleg. iuribus ſtatuitur, omninò non licere abrogatas leges coram Iudice recitare, valet in eo, quod corrigitur in illis. Nos autem contendimus, ſublata lege non auferri ſimilitudinem, ſeu argumētum, quare hoc ſupereſt ex aduerſo probandum.

Quod autem ſcribitur in d.l.vni.C.de lat.lib.toll. præfata diſtinctione ſubmouetur, quoniam prior illa latinitas, fuerat cum ſua cauſa, & ratione ſublata nullo omnino eiuſdē veſtigio relicto.

5 Adhuc vero aliud non probat, niſi, deſtructo exemplari, neq. illud manere poſſe, quod inſtar eius factum ſit, atq. ideo ſublata prima latinitate, quæ ſecundæ latinitatis fuerat exemplar, nec ſecūdam ſtare poſſe. Atqui legis argumentum pura relatio eſt, non quid exemplatum ab ipſa lege, aliudue ab ea.

Nec vrget adducta ratio, nam illud ſupponit, quod diſputamus, correcta lege adeo omne eius veſtigium ſubuerti, vt ne ſimilitudine quidem trahi poſſit; Nec ſequela illa quicquā inducit, ab eo enim quod corrigitur ad id, quod incorrectum manet haud bene ducitur argumentum.

C*Orrecta lege ratio naturalis manet.* 1.
*Quæ naturalis ratio, aut poſitiua.* 2.
*Ratio nuſquam eadem cum dicto, ſemperq. generalior lege.* 3.
*Ratio legis cauſa legis eſt.* 4.
*Expl. c. conſuetudo 1. diſt.* 5.
*Ratio lege generalior non tollitur ſublata l.* 6.

SVbſequitur,diſpiciamus,quatenus a ratione correcta le
gis liceat arguere.

Prima quæſtio eſt,an correcta lege cenſeatur correcta legis
ratio 2. an viciſſim correcta ratione legis corrigatur lex.

1 In 1. quæſt. certum eſt, ſi ratione naturali lex nitatur,
correcta lege nuſquam corrigi rationem; quippe natura-
lis ratio nec tollitur,nec tolli poteſt,legemq. ex ſe ſtatuit,
ſibiq. ſufficiens eſt. Habes plura congerentem Rimin. nu.
2 135.Eſt autem naturalis ratio,quæ ab ipſa natura præſcri-
bitur, quæ vero hominum placitis colligitur quaſi vtilis,
atq. expediens Reip. poſitiua dicitur.

Porro Dec.2.lect.num.5.recte cenſuit,rationem ſegregari a
lege,adeo,vt correcta lege maneat ratio;tum ex eo, quod
3 vulgo dicitur,rationem non debere eſſe cum dicto eadē,
tum,quia ſæpe traditum eſt,rationem legis ipſa lege ſem
per generaliorem eſſe, nec ablata vna aut altera ſpecie
tolli genus l. ſi quid earum.§.inter emptum ff.de leg.3.

Nec contra probat,quod adducitur ex c.non debet de conſ.
& affin. humana ſtatuta ſecundum tempora quandoq.
variari,namq. eius loci alia, atq. alia ſententia eſt,& ratio
magna rationem a lege ſeparat, quaſi cauſam ab effecto,
4 nam ratio legis cauſa legis eſt.

Itaq. corruunt ex aduerſo poſita. Vnicum enim fundamen-
tum cōtrariæ partis inſeparabilitas eſt, quam primo pro-
bant ex c.conſuetudo 1.diſt. quo loci habetur,illud omne
legem eſſe, quod ratione conſiſtit.

5 At vero ſententia valde diuerſa eſt, vel enim habet,
quicquid rationi congruit legem eſſe;vel,id omne, quod
legis ratione comprehenditur, ipſa lege comprehenſum
videri.

2. Ex l.cum mulier ff. ſol. Matrim. ibi. *Si tamen ex men-
te legis quis ſumet &c.*

Sed contrarium magis oſtenditur;eſſe .ſ. in mente, & ratio-
ne legis,quod in ipſa lege non ſit.

Deniq. ex l.vlt.cum Gl.ff.de off. Proc.Cæſa. vbi dicitur,Cu-
ratores Cæſaris ius deportandi non habere;addita ratione
*quia huius pœnæ conſtituendæ ius non habent.* Hanc rationē
ſic Gloſ.explicat,ideſt,*denegatum eſt eis*; alioqui (ait) nulla
eſſet ratio, cum idem poſitum cum ratione eſſet.

Hunc(arguunt)ſi forte lex huiuſmodi abrogaretur,vna cum
lege

lege tolleretur ratio legis, neq. enim vltra denegaretur Curatoribus deportandi ius.

Res profecto digna riſu, nec enim Gloſator quicquam adiecit, nec lex illa rationem vllam habet præter voluntaté legislatoris.

6 Illud moneo, rationem lege generaliorem nuſquam tolli ſublata lege. At vero ſub generali ratione, quæ plures legum deciſiones complectatur, poſſe quandoq. partiales quaſdam rationes, quæ ſingulis deciſionibus æquales ſint, atq. ijs ſublatis etiam ipſæ tollantur, contineri. Lex eſt, ne frumentum, vinum, oleum exportetur. Ratio generalis vt euitetur annonæ caritas, quæ haud tollitur conceſſa frumenti exportatione; at ſi qua ſpecialis ratio in fruméto ſit, illa certe tollitur. Deniq. generaliorem rationem auferri nego, æqualem concedo.

*SVbſtantia legis in quo poſita.* 1.
*Fœminæ poſſint ne hodie adoptare.* 2.9.
*Fornicata mulier quatenus dimitti queat.* 3.10.
*Ceſſante ratione legis ceſſare legem pluribus comprobatum.* 4.
*Ratio legis anima legis eſt.* 5.
*An, & quando ſublata ratione legis auferatur lex, diſtinguitur.* 6.
*Ratio legis vnde ſumatur.* 7.
*Sublato effectu auferri cauſam non oportet.* 8.

IN 2. quæſt. An viciſſim correcta ratione legis videatur correcta lex, vtrobiq. ſunt communes, & magis comm. ſententiæ.

Qui autem primo negant, nituntur deciſione ſuperioris quæſtionis, atq. ita ab oppoſ. argumentantur. Correcta lege non corrigitur ratio legis, ergo, & viciſſim.

1 Quibus fauet ratio eadem ſeparabilitatis. Item, quia ratio ex ſe ſe non conſtituit legem, neç pertinet ad ſubſtantiam eius, quippe in ſola voluntate, quæ verbis exprimitur, ſubſtantia legis conſiſtere videtur.

Deniq. correcta legis ratione manet legislatoris authoritas, quare &c.

Iure etiam comprobatur; licet enim fuerit ſublata ratio, qua fœminæ adoptare non poſſunt. ſ. quia filios non habeut

a in

in ſua poteſtate §. ſed hodie Inſt. de adopt. adhuc tamen non poſſunt adoptare §. fœminę eod. Et receptum eſt, fœminam, quę ex indulgentia Principis filium habet in poteſtate, non poſſe tamen eidem pupillariter ſubſtituere, licet remota ratione.

2. Ex c. dixit 32. q. 1. Quo loci ſcribit Hieron. fornicatā mulierem dimitti poſſe, addita ratione, quod illa vnā carnem in aliam diuiſerit. Quod ſi a Marito fuerit per calumniam accuſata, adhuc poſſe dimitti vult, dum tamen alia non ſuperinducatur. En igitur viget in ſecundo caſu diſpoſitio prior dimittendæ vxoris, cum tamen ratio non vigeat diuiſæ carnis.

3. Ex l. vni. in princ. C. de Caduc. toll. Vbi ceſſauerat ratio legis Papiæ, & Caducorum, quæ fuerat ratio belli, nec tamen ceſſauerat lex, fuit enim ſublata a Iuſt. Imp. ibid.

Contraria ſententia probatur iurium exemplis, & rationibus.

4 Et primo ex l. generali iun. Auth. ingreſsi C. de Sacroſ. Eccl. Nā d. l. generali permiſſum fuerat Monachis, aliiſq; ibi enumeratis poſſe teſtari, quia nondum bona per ingreſſum transferebantur in Monaſterium, qua demum ratione ſublata. d. Auth. ingreſſi, & præfatæ legis diſpoſitio, & teſtandi licentia ſublata eſt.

2. Ex c. miramur iun. Gl. de ſeru. non ord. iun. c. a multis de æta. & qual. cum enim antea ſerui ad ſacros ordines promoti inſcio domino non poſſent ad ſeruitutem reuocari, at Subdiaconatus ordine initiati reuocari poſſent, quia nondum erat ordo Sacer: poſtmodum hoc etiam ordine ad ſacros ordines eleuato, vna cum ratione ſublata fuit prioris legis diſpoſitio.

Quibus adde, quod de collationibus emancipatorum colligitur ex l. 1. ff. de coll. bon. & l. ea demum. l. ſi emancipati iun. l. vlt. C. eod. Item, quod de Superindicto dicitur in l. placet C. de Sacroſ. Eccl. iun. l. 1. C. de Indict. lib. 10. Quod etiam de Agnatis, & Cognatis intuitu Succeſsionis, & Tutelarum. l. quod tutela ff. de Reg. Iur. iun. §. nullam, & §. ex his. Auth. de hęred. ab inteſt. venien. Quod deniq; de iuſſu Patris circa hodiernas acquiſitiones in l. ſi quis mihi bona §. iuſſum ff. de acq. hæred. in l. placet eod. Tit. iun. l. cum oportet, & l. vlt. in princ. C. de bon. quæ lib.

5. Ra-

5 Rationem vero dicunt eſſe, quia lex quaſi conſequitur rationem, eiq; accedit quodammodo; hæc enim vulgo tradita ſunt, vim legis in ratione conſiſtere, rationemq; legis animam legis eſſe, quare & vulgaris inde Regula colligitur, ceſſante legis ratione ceſſare continuo legem: vulg. l. adigere §. quamuis ff. de Iure patr. c. cum ceſſante de Appell. cum Simili.

6 Exiſtimo, ſublata ratione legis auferri legem, ſi ratio finalis ſit, aut finalis cauſa finalem rationem non eam dico tantum, qua ſecluſa actus non fieret, nam hoc ipſum impulſiuæ etiam rationi contingit aliquando, ſed, quæ animum agentis mouet, excitatq; ad ſe ipſam adſequendam, finis enim ille eſt, propter quem agimus, & quem adſequi intendimus. Sanch. Decal. lib. 4. c. 2. num. 38. poſt Morales Philos.

7 Sumitur autem ratio legis ex fine, & intentione Legiſlatoris, cum in Moralibus ex fine, deſumantur regulæ agendorum Salas. de ll. quæſt. 97. tract. 14. diſp. 21. Sect. 13. Quamobrem deficiente fine deficit etiam intelitio & voluntas conditoris legis; Conſtat autem, ſi effectus pendeat à cauſa in ſui eſſe, ceſſante cauſa & ipſum remoueri.

8 Quæ vero contrarium probant, facile diluuntur. Nam, quod primo ab oppoſ. arguitur, erroneum eſt, neq, enim ſublato effectu ſimul tolli cauſam neceſſe eſt, quocirca ſublata lege non tollitur ratio. At ex oppoſito ſecus, nam ſublata cauſa, à qua pendeat effectus in eſſe, ipſum quoq; tolli oportet; ex quo etiam tollitur ratio ſeparabilitatis, & aperitur, conſtitui ratione legem quaſi ex cauſa, à qua omnino pendeat; & manente authoritate deficit voluntas,

9 Ad tex. in §. foemina varia afferuntur. Regula eſt, neminem poſſe adoptare, qui nec poſſit generare. §. ſed & illud Inſt. de adopt. At proprie foemina generare non dicitur, quare alia quædam ſupereſt ratio præter rationem patriæ poteſtatis.

10 Ad 2. ex c. dixit. R. ſententiam D. Hier. aliam fuiſſe; neq; enim vult, poſſe dimitti vxorem, quando conſtat, eam non fuiſſe adulteram, ſed indiſtincte ait, accuſatam de crimine vxorem ſemper dimitti poſſe, aliam tamen minime ſuper inducendam, quia ſcilicet poteſt accidere, vt maritus calumniam fecerit innocenti, & ob

ſecun-

ſecundam copulam Nuptiarum, veteri crimen impegerit.

Ad 3. R. antedictis aperiri, belli calamitatem non fuiſſe finalem cauſam legis Papiæ; Quippe finalis cauſa ea eſt proprie, in quam animum intendimus, vt adſequamur. Præter quam quod Imp. ipſe teſtatur, deficiente belli cauſa, præfatam legem fuiſſe in multis deſuetudine obumbratam, nec nouum videri debet, id, quod non valet ex ſe, vt minus credentibus noceat, à Legumlatoribus apertius aboleri.

*Conſultiuæ leges quæ.* 1.
*Conſilium ad permiſsionem trahitur.* 2.
*Euangelica conſilia partes legis gratiæ.* 3.
*Vbi lex ibi neceſsitas, & obligatio.* 4.
*Legis eſſentialia.* 5.
*Conſultiua lex, an proprie lex ſit, duplex diſtinctio.* 6.

1 Nunc de conſultiuis legibus ſubijcio. Et quidem harũ legum eſt ſuadere aliquid minime neceſſarium animarum ſaluti, aut communi bono. Conſulunt autem vel formaliter aliquid, vel conſilium præbent virtualiter.

Quare triplex voluitur quæſtio 1. An lex conſilij ſit vere, & proprie lex, quoquomodo conſulat 2. Quatenus obliget conſulendo formaliter 3. Quatenus virtualiter, ſuadendo .ſ. Aliquid ex honeſtate.

In 1. quæſt. affirmaſſe videtur Gl. in l. legis virtus ff. de ll. cõſultiuam legem vere, ac proprie legem eſſe; nam & legis virtus permittere eſt, vt ibid. Modeſt. ait, conſilium vero
2 ad permiſſionem trahitur ſecundum Gl.
3 Fauet D. Tho. 1.2. q. 108. art. 4. dum Euangelica conſilia refert inter partes legis gratiæ.

Hoc tamen frequentius & Iuriſperiti ibid. reſpuunt, & Theologi D. Tho. 1.2. q. 92. art. 2. ad 2. & q. 17. de verit. art. 3. ad 2. de comm. Suar. de ll. lib. 1. c. 14. nu. 10. Salaſ. q. 92. tract. 14. diſp. 3. ſect. 4. num. 15. & alij apud eos.

4 Fundam. Quia proprie non eſt, nec dicitur lex, quæ nullam inducat obligationem, vel, quod idem eſt, vim quandam, & neceſſitatem agendi quidpiam, vel contra. Communis eſt Theologorum aſſertio cum D. Tho. d. q. 92.

art.

art. 2. ad 1. & q. 93. art. 2. Et Iuriſtarum in d. l. legis virtus, & c. omnis diſt. 3. & Philoſophorum cum Ariſt. 1. Eth. c. 9. qui propterea dixit, vim coactiuam legi ineſſe, licet enim lex quælibet pœnam non imponat; neceſſitatem tamen infert, qua pœna dignum hominem faciat, ſi transgreditur. Quare vbi lex eſt, ibi & neceſſitas ſimul ponitur, & præceptum, à quibus conſilium omnino contradiſtinguitur.

9 Et comprobatur, nam legi eſſentiale eſt imperium ab eius voluntate efficaci prodiens, qui obligandi poteſtatem penes ſe habet, quod tamen conſilio deficit, vt quod poteſtatem aliquam ſuperiorem non expoſcit, ſed à priuato homine æque proficiſcitur, ac principali.

Equidem neutri parti ſimpliciter adhærēdum cenſeo; diſtinguo autem rem ſic. Aut legem permiſſionis, & conſilij referimus ad eum, qui conſilium ſibi lege datum accepit, nec puto iſtum quaſi lege obligatum cēſeri, aut veram cenſeri legem, quæ ad eum referatur, cum liberum ei fuerit non recipere conſilium nec vlla vi, aut neceſſitaté compellatur. Aut ad alios referimus, qui conſilium illud impugnare, aut infringere prohibentur, ſint Iudices, aut alij quilibet, & cenſeo, veræ legis officium in eos exerceri.

Quare eatenus permiſsiua, aut conſultiua lex proprio legis nomine poterit nuncupari, quatenus latenter admixta habet præcepta quædam, quæ neceſſario inſunt, ne ludibrio cuiquam fiat latoris intentio. Sic & Gloſſatorem interpretor, & D. Tho. qui Euangelica conſilia legis gratiæ partes efficit, opus enim quod per ea conſulitur, neq; prohiberi, nec tanquam malum declinari ab aliquo poteſt, ex quo pro Euangelicis conſilijs damnamus hæreticos, qui paupertatem, & continentiam, quaſi naturæ repugnent, impie damnarunt.

Nec illud prætereo, quod perite nonnulli; Si legem accipiamus formaliter, excludi omne conſilium appellatione, & ſubſtantia veræ legis. Quod ſi legis nomine comprætendatur tota diſpoſitio, aut prouidentia legiſlatoris circa ſubditorum regimen, profectò ad eum pertinere, non vt præcipiat tantum, verum etiam vt conſulat, ſuadeatq; quæ potiora ſunt; quod non formaliter efficit, ſed con-

comi-

comitanter. Vide text. in cap. commiſſum de Sponſal. &c.

L. Ex conſultiua duplex. 1.
Quando obliget. 2.
*An obliget in vim contemptus.* 3.

1 IN 2. quæſt. duplicem faciunt noſtri Interpr. coſultiuam legem Alteram, quæ conſilium perfectionis præbeat, quamdicunt non omnimodo ſeruari oportere. Alteram, quæ conſilium reuerentiæ porrigat, & huic neceſſitatem omnem tribuunt.

Prioris exempla, quæ ſimul oſtendant, & probent, habes in ſum. & c. 1. 2. vlt. 14. q. 1. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et illud: *Si quis voluerit Tunicam tuam tollere, & in Iudicio tecum contendere, dimitte ei & pallium.* Et illud. *Qui te percutit in vnam maxillam, præbe ei & alteram.* Cum ſim. Quæ neceſſitatem nullam afferunt. Vide tex. in c. deniq. §. hæc & ſi legibus diſt. 4. in c. paratus 23. q. 1. in Clem. exiui de verb. ſig. in §. ſin autem Inſt. de pupill. ſubſt. in l. conſilij ff. de Reg. Iur. &c.

Sed contradicit, quod habetur in c. in Ciuitate de Vſur. & c. magnæ de voto. Quibus in materia vſurarum, & violationis voti conſilium datur, quod tamen ligat.

2 Quare animaduertendum, quandoq. legem aliquam verborum cortice conſilium continere, formaliter vero præceptum includere. Contingit hoc in re nutritiua peccati, animarumq. ſaluti neceſſaria, qualis violatio voti, aut illiciti fœnoris vſus.

Poſterioris exempla ſuppeditat alijs, quod ſcribitur in c. 2. de Maior. & obed. & c. qui reſiſtit 11. q. 3. *Qui non obedierit Principi, morte moriatur. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Item, quod Clem. 3. in c. ad aures de æta. & qual. *Ad maiores ordines de noſtro conſilio non adſcendas* vbi Gl. vlt. complura alleg. Quibus adde Clem. 1. de Teſt. *Reges eoſdem, & Principes in Domino exhortamur &c.*

Sed perquam ridiculum eſt, cōſilij nomine ſignificari, quod vim, ac robur præcepti continet, nec verba legis conſiliū faciunt, quod eſſentialiter præceptum eſt, vti in re neceſſaria, ac peccati nutritiua contingit.

Statuo igitur, nuſquam cōſultiuæ legi vim obligandi ineſſe, vel perfectionis conſilium præbeat, vel reuerentiæ, ſi vere conſultiua eſt, quod tunc accidit, quando rem minime neceſſaria, vel ſaluti animarum, vel bono publico hortatur.

Quæ autem prælaudatis iuribus ſuadentur, neceſſitatem inferunt pręcepti, licet per modum conſilij plerunq. proferantur; quippe in rebus omnino neceſſarijs conſulunt, quod certum eſt.

Atqui lege conſilij neminem obligari, licet conſilium reuerentię ſit, inter alia multa probatur apertiſſime ex c. ſpōſus 30. quæſt. 5. quo ſponſis ſuadetur, vt ea nocte, qua proxime benedictionem acceperunt, pro reuerentia ipſius benedictionis in Virginitate permaneant. Vtinam vero multi adhuc fuerint, qui, quod ſancte, & pie conſulitur, opere impleuerint.

Quod item conſulitur, in c. teſtamentum 6. diſt. vt qui nocte in pollutionem eeciderūt ob crapulam, Sacri Myſterij perceptione abſtineant, cōſilium reuerentiæ eſt, quod pauciſſimi cuſtodiunt, adeo, vt exiſtimatum quandoq. ſit, nec venialiter, quidem peccare eos, qui contraueniant.

Confugiunt vero nonnulli ad contemptum. Sed fruſtra, tunc enim conſultiua lex in vim contemptus, non conſilij præſtiti obligabit, atq; ita ex nouo crimine. At (inquies) ſatis contemnitur lex, quando non cuſtoditur. Sed male, quoniam non vtiq; dicitur contemnere legem, qui non paret. Gl. in c. quis autem ver. contemni 10. diſt. Scholaſticus diſtingueret inter contemptum priuatiuum, in quo ille peccat lenius, qui ſimpliciter non paret, & poſitiuum, in quem incidit, qui modo aliquo deliquit in legem. Item Euangelica conſilia non modo nō ſeruant hæretici, verum impie negligunt, atq; impugnant.

*Lex ſuadens ex honeſtate quomodo à lege conſilij diſcrepet.* 1.
*Et quatenus obliget.* 2.

1 IN 3. quæſt. exiſtimo, legem ſuadentem aliquid ex honeſtate re ipſa non differre a lege conſilij, licet ſit magis indifferens ad præceptum. Itaq; toto Cœlo aberrant,

qui contendunt, illud ſtatim quaſi ex præcepto ſeruari oportere, quod ex honeſtate proponitur.

Quod vero afferunt, inter iuris præcepta recenſeri, vt honeſte viuamus l. iuſtitia ſ. iuris præcepta ff. de Iuſt. & Iu. ſ. 1. Inſt. eod. nec quæ iuſſa ſunt tantum, verum etiam quæ honeſta videantur cuſtodiri debere l. ſemper ff. de rinupt. c. iuuenis c. ad audientiam de ſponſal. c. non debet de conſ. & ad fin. diſtinctione indiget. Aut enim quod honeſtum eſt ita proponitur a lege, vt ſimul præcipiatur, vel ſaltem præceptum contineat virtualiter, quod ſubiecta materia dijudicat, & quæ circa eam ſunt, & fatebor, quod honeſtum eſt, illud itidem neceſſarium eſſe. Aut reſidet lex in puris terminis honeſtatis, & decoris, adeoq; conſilium magis, quam præceptum virtute includit, & idem exiſtimo, quod in conſultiua lege determinatum eſt.

Quod vero proponitur ex c. Clericus; & c. Clericis de vi. & hon. Cler. prę̄ceptum eſt, non conſilium.

# CVSTODIANTVR AB OMNIBVS.

## TERTIA PARS.

*Summus Pont. atq. Imp. legibus à ſe latis non obligantur.* 1.
*Leges vis duplex.* 2.
*Ligare, & ſoluere ſuperioris eſt.* 3.
*Legislator, vt ſic non eſt ſubditus.* 4.
*Princeps ad ſuſtinendam pœnam adſtringi nequit.* 5.
*Legislator ſua ſe lege non includit etiam volens.* 6.
*Lex condita à Principe vim oſtenſiuam habet.* 7.

*Principes legibus ſe adligatos profitentur.* 8.
*Turpe eſt recedere membra à capite.* 9.
*Non licet onus imponere cæteris, quod ipſe met ſubire recuſes.* 10.
*Principis autoritas à Deo eſt.* 11.
*Quæ ſit cauſa obligationis in lege, late explicatum.* 12. 15. 17.
*An ipſa lex ſit cauſa proxima, & immediata obligationis in Principe, latius diſcutitur.* 13. 16.
*Humana lex 1. non conſtituit reſpectu omnium medium virtutis. ſed tantum reſpectu ſubditorum.* 14.
*Princeps cum ſemetipſo non diſpenſat.* 18.
*Vis directiua, & coactiua ſe cernuntur.* 19.
*A ſe ipſo nemo cogitur, ſed dirigitur.* 20.

1 A*B omnibus* ſcilicet ſubditis. Gl. explicat. Quare. Sum. Pont. atq; Imp. legibus a ſe latis minime obligantur. An Legiſlator propria lege teneatur, ardua quæſtio eſt, in qua Theologi, Iuriſperiti, ac Philoſophi ad hæc vſq; tempora inſudarunt. Ego omnia pro munere, qua potero breuitate, abſoluam.

Duo autem præmoneo. Alterum, quæſtionem de eo Legiſlatore haberi, qui ſe ſolo, vt aiunt, poſſit condere leges, qualis Imp. Rex, & Sim. non qualis Dux, puta, Venetus, qui vna cum alijs condit leges; aut cæteri Senatores, quorum quiſq; per ſe ſubditus eſt, & cum alijs tantum Legiſlator; nam; & proprijs legibus obligantur, & puniri poſſunt violantium pœnis. Quod idem de Generalibus Religionum, & Capitulis, deq; ſingulis capitibus Populi dominantis accipi oportet.

Alterum, de legibus ſermonem haberi, quæ vniuerſalem, ac ſubditorum, & Principis communem rationem ſequantur, quales illæ, quibus rerum precia præſignantur, & ſim. Quod ſi ratio peculiaris aliqua inſit aliquibus, huc non ingrediuntur, quales ſunt leges de armis noctu non deferendis, & conſim. nam ſubditos ligant, non Principẽ, quod ſubditorum conditioni accommodatæ ſint, non Principis.

Cæterum nemo ignorat, poſitiuæ leges diſputationem eſſe, qua receptum eſt, aliqua ratione etiam Principem obligari; non diuinæ, aut naturalis, in quibus conditio par eſt ſubditorum, & Principis citra controuerſiam.

Hunc

Hunc rem aggredior. Et profectò D.Tho.1.2.q.96. art. 5.ad 3.vim duplicem diſtinguit in lege. Alteram directiuam vocat, quæ hominis conſcientiam ligat. Alteram coactiuam, quæ extrinſecus vrget. Addunt Recentiores vim irritantem, quæ contractibus & iudicijs normam præbet;&c.

Quapropter in triplici vi triplex oritur quæſtio.

In 1.quæſt. An legislator ſua lege obligetur ſecundum vim directiuam, iuribus, rationibus, Philoſophorum authoritatibus, atq; hiſtoriarum teſtimonijs vtrinq; certatur. Qui tamen Principem omnimodo ſolutum eſſe exiſtiment, pauciſſimi ſunt.

Ex præcipue mouentur ex eo, quod abſolute Vlpia. pronunciat in l. Princeps ff.de ll. Principem legibus ſolutum eſſe. Cui fauent plurima legum enunciata, de quibus paſſim Scrib.

2. Ratione. Aut enim ſeipſum propria lege Princeps obligat, aut obligatur ab alio. Primum repugnat, nam ligare, & ſoluere ſuperioris eſt. c. cum inferior de maior. & obed. nemo autem ſemetipſo ſuperior eſt, nemo etiam ſibi ipſi imperare, aut prohibere quidpiam poteſt. l. ſi de re ſua ff. de Rece. arbit. D. Tho. ibid. quæſt. 95. art. 3. cumq; par in parem non habeat imperium. l. ille à quo §. tempeſtiuum ff. Ad Trebell. c.innotuit de Elect. multo minus in ſe ipſum.

Quare licet poſſit quilibet promiſſione, voto, aut iuramento ſe obſtringere, lege tamen, aut præcepto non poteſt, quia hæc obligatio Iuriſdictionem poſtulat, quam nemo in ſe ipſum habet, & obedientiam, quæ refertur ad ſubditum, nec enim ſibi ipſi quiſquam obediens, aut inobediens videri poteſt, aut ſuimet intuitu inobedientiæ vitium, aut obedientiæ virtutem exercere. Ita Deus nec ſe obligat, nec obligare ſe poteſt propria lege poſitiua, quia Superiorem non agnoſcit. Quod ſi legibus à ſe latis ligaretur Princeps præceptis etiam generalibus, aut ſpecialibus non perpetuis, quæ ipſe emitteret, pari ratione teneretur; Nam, quæ diſcriminis fuerit ratio? Lex quippe nihil eſt aliud, quam præceptum ad Subditos, cum ſit effectus gubernatiuæ poteſtatis, quæ eſt principium dirigendi aliud, quatenus aliud, vt patet 5. & 9. Metaph. nec minus

libera in ſe eſt voluntas Principis ex eo, quod præceperit Subditis, quam ſi non præcepiſſet eiſdem.

4 Secundum etiam repugnat. Vel enim ab alio obligatur vt ei ſubditus, vel vti legislator,& Princeps. Primum improbabile eſt, nam legislator, vt ſic, non eſt ſubditus; aut enim eſt Princeps, qui ſupeꝑiorem non agnoſcat, & tunc nemini profectò ſubditur, aut inferior eſt,& nihilominus vti legislator ab alio non imperatur, ſed imperat alijs. Secundum vero impoſſibile, vel enim vti Princeps, & legiſlator à Deo immediate obligatur, & probanda huiuſcemodi obligatio eſt, nam in facto conſiſtit.

Vel à multitudine, ſeu communitate, cui ipſe imperat, & pugnat iſtud cum conditione Principis imperantis, & lege etiam, quæ Principis eſt, non multitudinis. Quapropter concludendum videtur cum Ariſt 3. Pol. c. 9. n. 11. *Ex quo manifeſtum eſt, poſitionem legis neceſſariam eſſe circa æquales genere, & potentia, ſed in illos tales* ( de Principe loquitur ) *non eſt lex, ipſi enim ſunt lex.* Ref. Milian. 3. p. num. 14.

5 Confirm. 1. Nam, ſi valet Princeps ſe ſua lege obligare ad agendum aliquid, quod ipſius conditioni, aut dignitati non deroget,poterit etiam ad pœnam aliquam ſuſtinendam adſtringi, ſi quæ eius ſtatuti,atq;maieſtati labem nequeat inferre, vti ad ſolutionem certæ quantitatis,verberationem ſui corporis clam faciendam,& conſim.quæ tamen nemo admittit.

6 2. Quia ſi nolit ſe Legislator ſua lege includere profectò non obligatur; idem igitur ſi velit, nam fruſtra illa obligatio eſt, quam poteſt quiſq; ſi velit non imponere, impoſitam vero cum ſemetipſo diſpenſando ſtatim auferre

3. Aut enim Princeps vi ſuæ legis coactiua tenetur, aut nulla; ex eo enim quod Princeps,dum tranſgreditur legis à ſe latæ fines quoad Deum obligatur, & peccat, ſequitur coactio legis, licet actu coactio illa non exerceatur. At vis coactiua manifeſto excludetur inf. quare &c.

7 4. Nam lex condita à Principe vim nullam præter oſtenſiuam in Conditorem exercet, quales à Sapientibus excogitatæ leges,vt à Platone aut Ariſt. neq; cogunt,neq; dirigunt, ſed tantum oſtendunt; quod manifeſtum eſt, nam

nam lex directiua vim non habet, niſi ex Principis poteſtate. Quapropter ſecluſa hac poteſtate, quam Princeps in ſemetipſum non habet, lex non eſt lex, niſi æquiuoce; quales præfatæ Philoſophorum leges, quæ monſtrant tantum.

At vero certiſſima res eſt, omniumq. teſtimonijs roborata, aliquo modo teneri ſua lege Principem, nam Euangelico iure, Sanctorum Patrum traditionibus hiſtoriarum monumẽtis, Theologorum, ac veterum Philoſophorum authoritatibus, ac iuribus pleriſq. & rationibus comprobatur D.Tho. cum Interpr. ibid. Sot. de Iuſt. q. 6. art. 7. Suar. cum alleg. de ll. lib. 3. c. 35. num. 4. Salas cum innum. ibid. q. 96. diſp. 14. ſect. 2. num. 8. & 10. & per tot. Scrib. omnes tum hic, tum c. cum omnes h. t. Couarr. in c. alma mater 1. p. §. 1. num. 5. And. Fach. cum alleg. Contr. Iu. lib. 1. c. 2.

Etenim Chriſtus Math. 23. in hoc aperte reprehendit Scribas, & Phariſeos; quia *dicunt, & non faciunt; alijs grauiora onera imponunt, digito autem ſuo nolunt ea mouere.*

8 Sed, vt omittam cætera, ipſimet, vel Pontifices, vel Imperatores perſæpe legibus ſe adligatos profitentur l. digna vox C. de ll. l. ex imperfecto C. de teſtam. l. ex imperfecto ff. de leg. 3. l. cùm hæredes C. qui teſta. fac. poſſ. l. vlt. C. Theod. de Appell. l. cum multa C. de bon. quæ lib. l. & in legatis C. ad l. falc. l. Papinianus §. ſi Imperator C. de inoff. teſt. l. 3. C. de teſt. §. vlt. Inſt. quib. mod. teſt. inf. l. 1. ff. quod quiſq. Iu. cui reſpondent d. c. cum omnes h. t. c. pro illorum de Præben. c. iuſtum 9. diſt. c. non liceat 12. q. 2. & ſi quæ alia &c.

Conf. rationibus. Et 1. Nam ſicuti naturale ius præcipit, vt ſuperioribus inferiores obtemperent, atq; ita cum ſuo capite quaſi membra conueniant, ita præcipit quoq. vt Superiores proprias leges cuſtodiant, atq. obſeruent, &

9 inferioribus conformentur, & congruant, turpe enim natura eſt diſcedere membra a capite, vel contra. *Inde* principium illud ex Auguſt. *Turpis eſt pars, quæ diſcordat a toto* c. quæ contra mores diſt. 8.

2. Quia tum Euangelica, tum naturalis ratio hominum

10 animis apte inſinuat, nemini licere onus illud cæteris imponere, quod ipſemet ſubire recuſet. Inde aliud principium ex D.Tho. & iuribus proxime alleg. *Patere legem*,

*quam ipſe tuleris* Et. *Quod quiſq. iuris in alterum ſtatuerit, eodem ipſe vtatur*. Cui Claud. conuenit de 4. Conſul. Honor.

In commune iubes ſi quid, cenſeſue tenendum,
Primus iuſſa ſubi ........

Et aliud quoq. principium. *Quod tibi non vis fieri; alteri ne feceris*.

11 Hiſce naturæ principijs illud quoq. additur, authoritatem Principis a Deo eſſe, cuius ille quaſi miniſter ſit; nec mirum igitur, Deo authore Principem obligari.

Quare concludendum videtur cum Ariſt. 3. Polit. c. 7. leges *Leges recte poſitas dominari debere*. Et cum Plat. 4. de ll. *parari exitium illi Ciuitati, in qua non lex Magiſtratibus, ſed legibus Magiſtratus præſunt, ſalutem vero illi, vbi lex ſeruientibus Magiſtratibus dominatur*. Ref. Coraſ. 2. Miſcell. cap. 25.

Hæc ſunt fere, quæ vltro, citroq. afferuntur, in quibus tamen cæcutiunt Scriben. vt plurimum. Quapropter operæ pretium videtur, vt diligentius intueamur, quæ ſit cauſa obligationis in Principe, ſeu legislatore, & quid ſentiendum de ea ſit.

12 Caiet. 1.2.q.96.art.5. verſ. ad hoc dubium &c. aperit, obligationem cuiuſcunq. legis ab æterna lege pendere, prout ab ea etiam deriuatur. Subijcit poſtmodum, quod ſicut lex humana ab æterna lege non immediate profiſciſcitur, ſed intermedia naturæ lege, ita vis obligatiua humanæ legis, quæ hominis conſcientiam vrget, non abſq. medio a diuina lege pendet, ſed medio naturæ iure, quod ijs principijs, quæ poſuimus ſatis ſuperq. explicatur. Quocirca naturæ ius violat, peccatq. conſequenter, qui legem cæteris poſitam ipſemet non cuſtodit.

13 Hinc pręclara exorta contentio inter duos illos Recentiores non obſcuri nominis. Etenim Io. de Sal. ibid. nu. 16. exiſtimat, obligationem humanæ legis in Principe naſci extrinſecus ex poſitis naturæ principijs, atq. adeo teneri proprijs legibus quoad vim directiuam non directo quidem, ſed indirecto, at quoad vim coactiuam nullo modo. Quare (inquit) fortaſſe lex a Principe lata non habet vim legis proprie loquendo, ſi ad ipſum Principem referatur, neque enim ipſa lex cauſa proxima, aut immediata

eſt, a qua Princeps intus obligetur, ſed modum habet conditionis, qua poſita emanet iure Naturali obligatio ad ſeruandam legem; quod etiam ita Azor. explicat to. 1. lib. 5. cap. 11. q. 1. vt Principem ſuis legibus alligari nihil aliud ſit, quam iura naturali illud facere debere, quod æquitas expoſcit, & rationis honeſtas. Atq. hoc quidem maxime congruit communi Iuriſprudentum dicto, ſola honeſtate Principem ſuis legibus obtemperare oportere, quæ honeſtas eorundem Authorum ſententia læthale crimen non inducit, nec Principum conſcientias omnino dilaniat.

At contra Suar. ibid. num. 8. poſtquam principia illa extrinſeca funditus euertere conatus eſt, contendit, obligari Principem ad obſeruantiam propriæ legis proxime, & immediate ab ipſamet lege, quaſi a ratione, aut virtute proxime agente. Quocirca ſentit etiam, peccatum Principis tranſgredientis legem lethale eſſe, eiuſdemq. ſpeciei cum ſubditis, quia .ſ. lex poſitiua poteſtatem habet conſtituendi materiam ſuam in ſpecie aliqua virtutis, & præſcribendi medium ad honeſtatem eiuſdem virtutis neceſſarium. Quare poſita lege ideo peccat Princeps, qui nõ obtemperat, quia mediũ virtutis egreditur, quippe in eo abſolute conſiſtit virtus, poſtquam conſtitutum eſt, & ideo peccat grauiter, ſi recedat ab eo.

Exemplum; ſi legem ſtatuat, qua rerum precia determinet, peccat enim contra Iuſtitiam, & compellitur reſtituere, ſi carius, aut vilius vendat ipſe, aut emat. Idem, ſi aduerſus proprias leges comedat carnes, aut non ieiunet die legis in dicto, agit enim contra temperantiam.

14 Sed nihil minus. Etenim humana lex non conſtituit reſpectu omnium medium virtutis, ſed tantum reſpectu ſubditorum, quibus ſolis imponitur, quoſq. directo obligat, nec peccat Princeps eodem genere peccati cum ſubditis, ſi prohibita die carnes comedat, aut ieiunium frangat. Quod ſi carius, viliuſue emat, aut vendat, certum eſt, eum, & peccare mortaliter, & reſtituere debere, namq. in ratione iuſtitiæ commutatiuæ ſubditis par eſt, quibus detrimentum inferat oportet ſubuertendo rerum precia. Cæterum non obligatur propria lege, vt quæ reſpectu Principis eſt ſimpliciter oſtenſiua iuſti precij,

quod ipſe in vim iuſtitiæ commutantis egredi non poteſt.

15 Exiſtimo igitur, veriſſimum eſſe, quod Azor. & Salas ſcriptum reliquere; quibus mirifice ſuffragatur, quod ibid. Caiet. habet verſ. ex his. Duplicem eſſe cauſam obligatiuam Principis in lege, altera enim propria legislatoris voluntas eſt, altera lex æterna. Voluntas Principis non eſt talis, vt libere, aut quaſi cõtractu aliquo ſui ipſius obligationem intendat, aut eligat, at ſolum promulgandæ legi incumbit, & hoc ſolum reſpicit. Eo ipſo tamen, quo legem promulgat, vult, id, quod in ea conſtituitur, habere vim legis. Quoniam vero ſtatuitionem aliquam habere vim legis nihil eſt aliud, quam ſortiri ab æterna lege vim directiuam in foro conſcientiæ, cui etiam Princeps ſubijcitur, ideo, & ex propria Principis voluntate, & ex lege æterna vim obligatiuam Principis in eodem foro lex humana habet, licet diuerſa ratione; namq; ab ęterna lege hanc habet, quaſi à cauſa, a Principis autem voluntate, quaſi à determinante cauſam vniuerſalem ad particularem effectum.

Ita in naturalibus cauſa vniuerſalis, vt p. Saturnus reſpectu rerum fixarum determinatur ad particularem effectum ſcilicet ad oſſa, a ſemine illius, qui producit animal habens oſſa. Sicut autem producere tale animal ſub Saturno eſt ipſum determinare ad oſſa producenda in eo, ita ſub Deo condere legem eſt quaſi determinare Deum ad cõmunicandam vim obligatiuam in foro interiori conditæ legi, & ſicut oſſa referuntur ad Saturnum, vt cauſam, ita vis iſta obligatiua ad æternam legem.

16 Hinc percipimus, Principem proxime, ac immediate lege æterna obligari, neq. enim vllo modo ligari poteſt ſua illa determinatione, quæ libera eſt ſuæ voluntatis electio. At contra ſubditum determinatione illa Principis proxime, atq. immediate obligari, lege autem æterna remotius.

17 Hinc tolluntur omnia ex aduerſo poſita; euincũt enim Principem ſua lege obligari non poſſe, quod accipiendũ eſt de vi coactiua, quæ profecto legislatorem non inficit, vt mox oſtendam. Quod ſi trahantur ad vim directiuam, adhuc non vrgent, quoniam Princeps non directo a ſua

lege

lege dirigitur, ſed indirecto; hoc eſt, poſita lege, à Iure Naturali, ſeu principijs Naturæ, quæ retulimus; quibus illud quoq. additur, iuſtum, pium, ac ſapientem Principem decere, vt prior cuſtodiat præſcriptas leges, atq. ita ſui exemplo alliciat, moueat, flectat, compellatq. inde ſubditos ad obſeruantiam legis, in qua Reip. ſalus poſita eſt.

Quod vero de ſubſtinenda pœna adijcitur, vel concedi gratuito poteſt, vel ad eandem vim coactiuam pertinet. Verum de hoc inf. opportunius.

18 Quod de diſpẽſatione ſubiungitur falſum eſt, quia non poteſt Princeps cum ſemetipſo diſpẽſare, quin iure Naturæ teneatur.

19 In 3. confirm. male confunditur vis coactiua, quæ ab extrinſeco eſt, vt inf. cum directiua, quæ vni Deo obligat intrinſecus.

In 4. & vlt. male adducuntur Sapientum leges, quæ ſolam vim oſtenſiuam habent, non directiuam, & multo minus coactiuam. Quod autem ſubiungitur, facile amouetur,
20 quia nemo quidem cogitur à ſe ipſo, ſed quiſq. à ſe ipſo dirigitur; Quare licet careat Princeps poteſtate cogendi ſe ipſum, tamen ſemetipſum dirigendi poteſtate fungitur, & quoad hoc ſaltem vera lex eſt etiam in Principe.

*Coactio ſemper ab extrinſeco.* 1.
*Cuius Princeps incapax.* 2. 4.
*Vis coactiua ad pœnæ inflictionem pertinet.* 3.
*Excomm. pœnam ſibi nemo infligit.* 5.
*Legislatorem dedecet proprias, aut alienas ſuæ legis tranſgreſſiones in ſemetipſo punire.* 6.
*Princeps, qui in proprium legem committit, videtur ei noua lege detrahere.* 7.
*Legislator an ſit obnoxius pœnæ, quantum in lege eſt.* 8. 10.
*Princeps obligatur ſua l. Ciuiliter.* 9.
*Pœna inuoluntarium ex ſe habet.* 11.
*Vis directiua ordinatur ad bonos mores.* 12.
*Pœna accidentalis legi.* 13.
*Pœnæ ſubditum fieri, quid?* 14.
*Generales Religionum quomodo puniantur propria legis exceſſu.* 15.
*Pœna omnis indecora Principi.* 16. 19.

*Lex*

*Lex ad pœnam cogit vt ſententia.* 17.
*Propriam cauſam nemo iudicat.* 18.
*Ciuilis obligatio duplici ſenſu accepta, & quo modo* 19.
*Princeps propria lege Ciuiliter obligetur.* 20.

IN 2. quæſt. An legislator propria lege obligetur quoad vim coactiua; citra controuerſiam negant omnes; quod euidenter probant iura omnia, rationes, & authoritates, quibus ſupra nitebamur oſtendere, omnimodo ſolutum eſſe Principem.

1 Et comprobatur 1. Nam coactio intrinſeca ſui ratione poſtulat, vt ab extrinſeco proueniat omnium Philoſophorum conſenſu, neq; poteſt idem eſſe obligans, & obligatus, agens, & patiens.

Ariſt. 3. Phiſ. c. 8. & lib. 8. c. 4. t. 40. l. ille a quo §. tempeſtiuum ff. ad Trebell. At Princeps, ſeu legislator, vt ta-
2 lis, non poteſt quicquam pati extrinſecus ab aliquo, vel enim à ſubditis pateretur, & cogeretur, & hoc abſonum omnino eſſet, quia nullus inferior poteſt violentas manus inijcere in ſuperiorem. Vel ab æquali, & conſtat, inter æquales non eſſe Iuriſdictionem, ſiue Imperium; Vel a ſuperiori, & multo minus, nam Legislator, vt tali ſuperiorem non habet, coactio vero, & imperium à maiori eſt, d. §. tempeſtiuum l. nam Magiſtratum ff. de arbitr.

3 2. Quoniam vis coactiua ad pœnæ inflictionem pertinet, quare triplici via excluditur 1. quia impoſsibilis. 2. quia indecens 3. quia moraliter inutilis. Prob. primum,
4 quia pœna per ſe, & rationi ſui intrinſeca fertur in inuitum, quare præſupponit ſuperiorem poteſtatem, atq; imperium in perſona infligentis; legislator vero, vt talis, ſuperiorem non agnoſcit. Prob. ſecundum, non executio pęnæ, aut palam fieret in Principe, aut ſecreto. Si palam, repugnaret decori, ac maieſtati Principis; ſi clam, non expediret ei ſubijci Principem, quia non conferret ad exemplum, & perſępe repudiaretur à Principe. Prob. tertium, quia moraliter vix quandoq; perduceretur ad actũ quia Princeps à nemine iudicari poteſt, neq. igitur cuiuſquam pœnæ ſententiam pati. Ante ſententiam vero nemo cogitur ſubire pœnam quod tamen verum ne ſit, videbimus inf.

5 Hinc

5 Hinc ad pœnam excommunicationis nemo propria lege obligatur, quia nemo ſibi ſubditur c. à nobis 1. de ſent. exc. cum ſcriben.

6 Hinc legiſlatorem dedecet aut proprias, aut alienas ſuæ legis tranſgreſſiones in ſemetipſo punire; quare laudantur animus, ſed non factum Zalinei, qui, cum aduerſus propriam legem Senatum armatus adijſſet, gladio ſe tradens vitam abrupit, quæ pœna tranſgredienti ſancita erat. Nec ſatis probatur factum Zalinei, qui adultero filio vtroq. oculo vi paternæ legis carituro vnum, ſibi vero alterum effodi iuſſit, quo legi ſatisfieret.

7 3. Deniq. nam eo ipſo, quo Princeps in propriam legē molitur aliquid, videtur illi per nouam legem derogaſſe, etenim omne, quod placuerit Principi, legis vigorem habet l. 1. ff. de conſt. Princ. §. ſed quod Principi Inſt. de Iu. Nat. Conna, lib. 1. c. 16. num. 8.

Quę omnia cum certiſſima ſint, non nihil tamen habet hęc reſolutio difficultatis.

Et primo, quia ex præfatis ratiocinationibus ad ſummum colligi videtur, neminem reperiri, qui in ipſum Legiſlatorem pœnam exequi poſſit, cęterum, an ſit obnoxius

8 pœnę, quantum in lege eſt, ſub Iudice manet.

Duo autem hæc longe diſtant, namq. in altero factum verſatur, in altero ius. Atqui, vt lex vere obliget, vereq. cogat, ſat eſt, ſi tranſgreſſorem faciat ſuæ pœnæ obnoxium, quantum in ſe eſt, cęterum executioni dari pœnā, aut contra, contingens eſt. Sic Religionum Primi, qui Generales vocantur, ſi legum pręſcripta egrediantur, nullam pœnam ſuſtinent, quia Superiorem non agnoſcunt, qui eam exequatur, at demum peracto munere puniuntur, quod ſatis arguit, fuiſſe legi ſuppoſitos etiam quoad vim coactiuam.

2. Nam complurimæ ſunt pœnæ, quæ ipſo iure, aut facto infliguntur a lege, non autem a Iudice extrinſecus. Hæ igitur ſaltem cogentem vim exercere poterunt in Principem.

9 3. Nam Princeps obligatur ſua lege Ciuiliter, quare poterit etiam ciuiliter cogi, vt pœnam, quæ lege ſancita eſt, ſuſtineat.

His leuiora quædam accedunt, quæ in re omnino aperta conſultius prætermittuntur.

10 Ad 1.R.falſum eſſe,quod adſumitur; adeo enim Prin-
ceps vi ſuæ legis cogente eximitur, vt nec teneatur per
ſe eam ſubire.

Quod ſic oſtenditur, atq. explicatur. Princeps non intendit ſemetipſum ad ſuſtinendam pœnam ſua lege decretam obligare,nec a Deo,vel a Natura, aut alio quopiam obligatur;quare nullo modo.

11 Voluntas Principis citra controuerſiam eſt, nam pœ-
na inuoluntarium ex ſe habet,a Deo autem, vel a natura
12 nulla eſt obligatio,niſi dirigens, vt dixi;nam vis directi-
13 ua ordinatur ad bonos mores,quare ipſum quoq. legiſla
torem afficit; pœna vero accidentalis eſt legi, ac violen-
tiam quandam includit, quæ Legiſlatorem omnino de-
decet. Aliunde obligatio nulla oritur; aut enim Legiſla-
tor ſuperiorem agnoſcit,aut non. Primo caſu puniri po-
terit,veluti Epiſcopus a Pontifice, ſi legem propriam ne-
glexerit,nõ tñ pęnæ propriæ legis,ſed arbitrio Pontificis,
quia nec ille ſuæ pœnæ obnoxius eſt, nec iſte inferioris
leges in iudicãdo ſeruat. Aut Superiorem nullum habet,
& tunc nulli hominum parere iubetur in executione
pœnæ, quare nec vlli ſubditur, quia pęnæ ſubditum fie-
14 ri aliud nihil eſt, quam teneri ad parendum in ſuſtinen-
da pœna, ſi ab eo infligatur, qui poteſtatem infligendi
habeat.

15 Eodem modo & illud tollitur, quod de Generalibus Religionum obijcitur, quoniam ſuperior ille, qui propriam legem exceſſit,punitur poſtmodum,non equidem vi eiuſdem legis,ſed poteſtate, quam habet nouus Superior puniendi ſubditos quorumcunq. criminum, quæ etiam,cum ſubditi non eſſent, perpetrauerint.

16 Ad 2.R.nullam eſſe pęnam, qualiſcunq. ea ſit, vel pecuniaria,vel de aliquo actu virtutis, vt p. Eleemoſynæ, aut ieiunij, quæ Principem deceat, namq. ad vim coactiuam omnis pertinet, coactio autem inter agens, & patiens diſtinctionem petit.

Nec prodeſt quicquam, pęnas eſſe aliquas, in quibus ſola lex agere videatur,quæue alterius hominis executionem minime expectent,namq. in lege ipſo iure, aut facto infligente pęnam diſtinguenda eſt ratio legis a ratione ſententię, quam virtute includit; quippe ad actum, quem

directo præcipit, aut prohibet, obligat quaſi lex, & le-
giſlatorem quoque ipſum ſuo modo comprehendit, ad
17 pœnam vero cogit, vt ſententia, quæ formaliter ferri à
Iudice debet, nec niſi eum includit, qui poſſit in ea cauſa
Iudex eſſe. Gl. in c. licet Canon ver. executione de elect.
in 6. Nemo autem propriam cauſam iudicat cap. inter
18 querelas cum Gl. 23. quæſt. 4. nec ligatur quiſpiam, niſi
à proprio Iudice c. at ſi Clerici de Iudic. Quare Legiſla-
torem non inficet præſcripta pœna.

Præterquamquod incongruum eſt, teneri pœna aliqua Le-
19 giſlatorem, cuiuſmodi illa ſit, neq; enim per ſe intendi-
tur in lege, neq; morum honeſtati neceſſaria eſt, nec tam
vniuerſaliter includit omnes, quam materia ex ſe inten-
ta, & ſpectata à lege. Quare, &c.

20 Ad 3. R: in primis, quod multi negant, ſimpliciter Prin
cipem obligari ſua lege ciuiliter. Sed alij ciuiliter obliga-
ri affirmant, nolunt tamen, ex ciuili vinculo ſequi neceſ-
ſario coactionem, cum obligatio fori interioris interdum
Ciuilis appelletur ea ratione, quia non à ſola naturali le-
ge proficiſcitur, ſed quandoq; etiam Ciuili. Quapropter
ſi fuerit pactio aliqua cum minore contracta, quia non
acquiritur Dominium iure Ciuili ſic diſponente, oritur
etiam obligatio reſtitutionis in conſcientia, quæ obliga-
tio Ciuilis dicitur, cum à Iure Ciuili partem capiat. Con-
ſequens autem eſt, hac obligatione æque Principem, ac
ſubditos teneri, nam directiua eſt.

Atqui obligatio Ciuilis etiam dicitur, ex qua in Iudicio ori-
tur actio, per quam debitor alicuius rei ſoluendæ neceſ-
ſitate adſtringitur; quocirca diſtinguenda res eſt. Nam,
ſi propoſita actio dirigatur ad cogendum vere debitoré,
nec datur, nec dari poteſt aduerſus Principem, qui ideo
ex hac parte non dicitur Ciuiliter obligatus. Quod ſi ad
illud tantum moueatur actio, vt Iudicis ſententia lique-
at, Principem debitorem eſſe, nec poſſe citra iniuſtitiam
vel Tyrannidem æs alienum retinere, tunc ſine vlla coa-
ctione cenſetur obligari Ciuiliter. Quæ ſatis de vi coa-
ctiua.

I *Mperator iuris ſolemnibus eximitur.* 1
*Irritandi effectus pœnales eſt, & contra.* 2.4

*Irri-*

*Irritanti legi Pontifex, atq; Imp. ſe ſubijciunt.* 9.
*Quando autem hoc verum ſit, late diſtinguitur.* 5.

1 IN 3. quæſt. An Legislator propria lege teneatur ſecundum vim irritantem; prima fronte negandum videbatur, nanq; Imperatorem cunctis iuris ſolemnitatibus eximi conſtat ex l. ex imperfecto C. de teſtam. quo loci exponit Gloſator, neminem eſſe, qui actus Principis infirmare queat, licet ſolemnia Iuris non adhibuerit.

2 Confirm. nam irritandi effectus pœnales videtur, quippe inter pœnas ſæpe adnumeratur ab Interpretibus Iuris; Pœna autem non afficit Principem, vt ſup. dictũ eſt.

3 Ex aduerſo Imperator ipſe repudiat hæreditatem ex imperfecto teſtamento, quod Ciuili iure irritum eſt, d. l. ex imperfecto; & Sum. Pont. in c. in cauſis de Sent. & re Iud. aperte ſtatuit, in ſuis quoq; iudicijs formam ſacris Canonibus præſcriptam ſeruari oportere.

4 Et confirm. nam irritatio magis pertinet ad vim directiuam, intenditur per ſe à lege, communiq; bono maxime expedit, vt in ea Princeps corpori vniuerſo cõgruat; Vt enim Sacerdos ad Matrimonium contrahendum ſit inhabilis, actus eſt Eccleſiaſticæ legis irritantis; expedit autem maxime, vt & Sum. Pontifex eidem legi ſubijciatur.

5 In hac ego controuerſia reperio huiuſmodi conciliationes, quæ mihi admodum ſedeant, nam præhabitæ diſtinctioni de vi directiua, & coactiua prope accedunt, & proximiora Iuris principia attingunt.

Aut irritandi effectus, de quo agimus, mere pœnalis eſt, quod accidit, quando Simoniacus contractus fit irritus, vel, quando beneficiatus, qui canonicas horas non recitauerit, fructus ſuos non facit, & puto non affici eo Principem, namq. in vi coactiua totus eſt.

Aut non eſt mere pęnalis, ſed honeſtatem quandam præſefert circa bonos Reip. mores, quales ſunt teſtamentorum ſolemnitates, quæ, niſi ſeruentur, vitiant teſtatorum voluntates, vt ijſdem teſtatoribus cautius conſulatur, & tunc in duobus quæſtio vertitur.

Quandoq. enim lex irritans comparatur ad actum Principis, vel alterius cum Principe contrahentis, & tunc nihil

agit

agit aduerſus Principem,& valet quod factum eſt,ſiue irritatio ad pœnam pertineat,ſiue non;etenim eo ipſo, quo Princeps contractum aliquem celebrat, qui eſſet alioqui ſua lege irritus,cenſetur ſuæ legi derogaſſe,vel ſecum, & cum alijs diſpenſaſſe, vt neq. ipſe teneatur, neq. ij,qui cũ eo contraxere,quia obligatio claudicare nõ debet. Quapropter ſi Sum. Pont. actum poſitiuo iure Simoniacum celebrauerit cum aliquo,omnis Simoniæ labes Pontificia manu abſtergitur; ſiq. Epiſcopus aliquis aleæ ludum ſub Cenſuræ vetuerit, ac poſtmodum quenpiam ipſe ad ludũ prouocauerit,neuter incurrit.

Quandoq. vero lex actum cuiuslibet alterius irritum facit, cui Pinceps non cooperetur, licet fauorem Principis reſpiciat, vt ſi quis teſtamento minus ſolemni hæredem Principem inſtituerit,aut eidem legauerit aliquid,& tunc teſtamẽtum illud irritum eſt, ac ſi Teſtator priuatum hominem honoraſſet §.vlt. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm. qua ratione non proprie, aut directo Princeps ſuæ legi ſubditur,ſed cæteri.

*INfideles an, & quando ſeculari, aut Eccleſiaſticæ poteſtati ſubijciantur.* 1.
*Vſura an Iudæis vllo iure permiſſa.* 2.
*In ſpiritualibus Infideles Pontificijs legibus non illigantur, & cur.* 3.
*Hæretici quomodo Eccleſiæ ſubijciantur, & quo diſcrimine quoad hoc ſecernantur à cæteris Infidelibus.* 4.
*Lethalis culpæ conſcius non excuſatur à præcepto percipiendi ſacri myſterij.* 5.

INcidit modo, an, & quomodo Infideles Pontificijs legibus teneantur, adeoq. includantur vniuerſali Concilij lege, quod proponit Panorm. num. 5. & latiſſime diſcutit Bero. 164 &c.

1 Duo vero citra controuerſiam ſtatuuntur;alterum eſt, in temporalibus Iudæos, reliquoſq. Infideles Chriſtiano Principi ſubijci; all. l. Iudæi C. de Iud. circa quam Aug. Bero. ſe fruſtra, atq. inutiliter examinat, quicquid enim de ea lege ſit, veriſſima concluſio eſt.

Excipitur tamen, ſi forte in terris Eccleſiæ domicilium habeant,

beant, in illis etenim Pontifex principatum tenet cap. per Venerabilem Qui fil. ſint legit. cum ſimil. Item, ſi contra Naturæ legem, aut Moyſi, aut cæremonialia, ſeu myſtica moliantur aliquid; Deniq. ſi facinus aliquod Eccleſiaſticũ admittant, aut in contemptum Eccleſiæ, ſeu Chriſtianæ Religionis audeant quicquam c. in nonnullis, & c. quia ſuper his de Iudæ.

Eccleſiaſtici criminis exemplum affertur Vſura c. 1. de Vſur. lib. 6. Clem. 1. eod. Tit. Quo ſequitur, Iudæos ad reſtitutionem extorti fænoris per Eccleſiaſticum Iudicem poſſe compelli, præterquam quod in legem diuinam committunt. *Mutuum date nihil inde ſperantes* c. cum tu de vſur. Et Iure Pontificio aperte coercentur c. quanto c. poſt miſerabilem de vſur.

3 Atqui (obiter dicam) Iudæi afferunt, ſibi lege Moyſi permitti Vſuras cum extraneis, atq. adeo, quando impia, atq. illicita à nobis extorſere fęnora, ſibi inuicem gratulantur, quaſi Deo victimas immolauerint.

Nituntur autem duobus illis Deuter. locis. *Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, neq. fruges, neq. quamlibet aliam rem ſed alieno.*

Et rurſus. *Fęnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fęnus accipies.*

Ad hæc ſæpius reſponderi ſolitum eſt, Vſuras fuiſſe Iudæo permiſſas, non quaſi licitas, ſed, vt inde peiora mala, & in Gentibus ſcandala vitarentur; nouerat enim Dominus, auaritiæ deditiſſimos homines. Iſa. 26. furta, & latrocinia fuiſſe admiſſuros continuo, niſi permiſſum fuiſſet exercere fęnus ſaltem cum extraneis, ſic enim ad euitãda adulteria recipiuntur ſcorta.

Sed quidã perſpicacius in meliorem partem Deuter. verba interpretati ſunt, vt ijs non tam permiſſio, quam figurata quædam prohibitio contineri videatur. Scribitur in lege. *Non fœnerabis fratri tuo, ſed alieno.* Senſus eſt. Si fęnus exercere debes, id non in fratre, ſed in alieno committendum eſt. At ſupp. nemo tibi alienus eſſe debet, omnes enim quaſi proximos, & quaſi fratres teneris diligere, quare nulli licet fęnerari.

Ita plane habet Ambroſ. cap. ab illo 14. q. 4. *Ab illo* (inquit)

*exige*

illicitum ſit arma inferre cuipiam, deq. hoſtibus capere vltionem, ita nemo debet ab hoſtibus extorquere vſuras nec enim Principes, aut Reges ad loquitur Ambroſ. quibus inferẽdorum armorum ius ſit, ſed priuatos homines, quibus conſulit, vt condonare velint iniurias. Quare poſtmodum ſic inuehitur in Vſores. *Sine ferro dimicat, qui vſuras flagitat, ſine gladio ſe de hoſte vlciſcitur, qui fuerit vſurarius exactor inimici.* Et profecto non pauci exiſtimarunt, Iudæis quoq. fuiſſe ſolummodo permiſſum, vt inter hoſtes exercere poſſent vſuras, quibus inferendorum quoq. armorum ius haberent.

3 Alterum, quod ponitur, eſt, in Spiritualibus, & concernentibus animam, & peccatum Iudæos, cæteroſq. Infideles Pontificijs legibus non illigari. Sic Matrimonium Iuris Canonici præſcripto non diſſoluitur, quod inter Paganos male contractum eſt, ſi fuerint conuerſi ad fidem c. gaudemus de Diuort. c. de Infidelibus de Conſan. & Ad fin. cum ſimil.

Ratio additur, quia Infideles nõ ſunt Eccleſiæ membra, nec habent quicquam Eccleſiaſticæ communitatis, aut in ſe tale aliquid, vt Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ ſubijciantur. Quoniam verò membra eſſe poſſunt politicæ Ciuitatis, ſeculi Principibus recte obtemperant, eorumq. legibus adligantur.

4 At (inquies) hæretici quoq. ſe Pontificijs legibus ſolutos eſſe præſument, neq. enim membra Eccleſiæ ſunt, nec fundamentum aliquod habent fidei, qua præcepta Eccleſiaſtica verè, atq. vtiliter obſeruent.

Sed R. aliud ſtatuendum eſſe de hæreticis baptiſmo initiatis qui rectius Apoſtatæ appellantur, ſiue ad Iudaiſmum, ſiue ad Paganiſmum, ſiue ad propriam hæreſim tranſlati fuerint, hi enim Eccleſiaſticæ Iuriſdictioni ſubijciuntur, cum characterem baptiſmalem habeant, quod eſt talis ſubiectionis fundamentum; & licet nunc Eccleſiæ membra non ſint, fuerunt tamen quandoq. ſeq. ab ea ſeparando deliquerunt, cumq. ſacræ Iuriſdictionis ſignum delere nequeant, ab Eccleſia ſemper agnoſci, & coerceri

K poſ-

poſſunt, & vi compelli ſemper, vt ad eam reditum faciant.

Nec quicquam refert, amiſſam per eos fidem, qua procul exiſtente Eccleſiaſtica præcepta ſeruari nequeunt; nam fidem habere poſſunt, & per eos ſtat, quo minus habeāt, quare hoc capite non excuſantur.

5 Sic læthalis culpæ conſcius peccator hoc ipſo, quod gratia careat, non excuſatur à præcepto percipiendi ſacri myſterij, quia poteſt ſe preparare ad gratiam: Compluri-ma quoq. Eccleſiaſtica prçcepta poſſunt ab hæretico ſeruari, licet in ſua perditione maneat, vt ieiunandi, ſoluendi decimas, & ſim.

*Cathecumeni Eccleſiaſticis conſtit. ſubijciuntur.* 1.
*Græci, & Orientales an & quomodo latinis conſtitutionibus obligentur.* 2.
*In pluribus differunt a latinis.* 3.

1 HAec de Infidelibus. De Cathecumenis autem And. de Ex. num. 268. Vult autem Eccleſiaſticis Conſtitutionibus ſubijci ex eo potiſſimum, quod ſæpius perinde iudicamus de eo, qui deſtinatur ad actum, ac de ipſo actu l. cum vero in princ. ff. de fideicom. lib. At de Iudæo, qui iurauit Ferret. num. 57. &c.

2 De Græcis deniq. & Orietalibus an, & quomodo latinis conſtitutionibus obligentur, quærit Abb. num. 8. Hos quidam teneri autumant, quod ſubijciantur Pontifici, regan-turq. ab eo. Alij putant, illis tantum legibus, aut Canonibus obligari, qui generalibus Concilijs editi ſunt eo tempore, quo nondum Græci, & Orientales Clerici a Latinis ſeceſſerant, licet apud Græcos, & Orientales permulti fuerint deſuetudine aboliti.

3 At vero certum illud eſt, Grçcos, atq. Orientales Clericos in pluribus differre a latinis; Refert poſt Azor. Salas de ll. q. 96. tra. 14. diſp. 14. tota Sect. 15. quæ vel apud illos vſu recepta ſunt, aut veteri iure, quod nobis ignotum introducta. Certum eſt etiam, Græcos, atq. Orientales Clericos diuino iure ſubjci Romano Pontifici, a quo leges, ac præcepta tenentur recipere, ſi ipſe velit, quod nobis ſatis eſt. Non tamen hac poteſtate ſemper

vtitur

vtitur Pontifex, nec ad eos leges ferre creditur. Hæc Salas.

*Pugnent ne ſpiritualis, ac ſeculi poteſtas inter ſe.* 1. 21.
*Quicquid habet Princeps, a populo eſt.* 2.
*Pontif. ab Imp. ſceptrum, ac diadema accepit.* 3. 22.
*Chriſtus Imperatoriam poteſtatem agnouit.* 4. 24.
*Imperatoris poteſtas immediate a Deo.* 5.
*Qualibet poteſtas a Deo eſt.* 6.
*Imperatoris, ac Pontificis poteſtas ab Electoribus non eſt.* 7
*Imperator Pontificem neſcit in temporalibus.* 8.
*Lud. Imper. conſtitutio de poteſtate Imp.* 9.
*Optimus eſt Principatus, ſi præſit vnus.* 10.
*Monarchia conſtituenda eſt in orbe.* 11. 14.
*Seculi Reges perſæpe a Pontif. depoſiti.* 12. 26.
*Item Imperatores.* 13.
*Reſp. abſq. Religione non conſiſtit.* 15.
*Ratione hypoſtbaſis humanitati tribuitur, quod diuinitatis eſt.* 16.
*Chriſtus temporalem exercuit poteſtatem.* 17.
*Temporale Dominium repudiatum a Chriſto.* 18.
*Regna quibus modis comparentur.* 19.
*Pontifex temporalem habet poteſtatem, vt ſpirituali bono conducit.* 20.
*Pontifex num Imperatore iunior.* 23.
*Monarchia Imperatoris defenditur, atq. explicatur.* 25.
*Quæ ſit Pontifici poteſtas legitimandi filios in terris imperij late diſcutitur.* 27.

NVnc de eminentia Papæ inſtituitur diſputatio apud omnes Interpretes, quæ mihi & alijs quibuſdã dubitandi cauſam hic obiter præbuit. An Summus Pont. ſolum gladium ſpiritualem habeat, vel ei iunctum temporalem.

Ardua quæſtio eſt, nec omittenda. Quę vero hic deficiunt, ſupplebis cum Card. Bellarm. Politia. lib. 5. de Roma. Pont. cap. 1. & ſeq. & ex ijs quæ fortaſſe ſcribam latius in Commét. ad c. 1. de Probat. vbi vertitur præcipue quęſtio, prout etiam in c. Nouit de Iudic. & paſſim inter Conſultos Iuris, & Theologos acerrime controuertitur.

Tres vbiq. ſententiæ. Prior abſolute negat. Secunda pure cōcedit. Tertia limitat, ac diſtinguit. Fundamenta priores hæc ſunt fere.

1 Primum quia pugnant inter ſe ſpiritualis, ſecularisq. poteſtas, pugnat Eccleſiæ Principatus cum Politico Principatu; quæq; diuerſa ſunt ſpecie nō poſſunt vni, eidemq. ſubiecto ineſſe ſimul ex Philoſoph.

Quod item a poteſtate ſeculi arguitur, habere Pontificem in Imperatorem, cæteroſq. omnes terrarum Orbis Principes, Regeſq. Imperium, & coerctionem, vſq. etiam ad
2 depoſitionem, falſum videtur; quicquid enim habet Princeps a populo eſt §. ſed & quod Principi Inſt. de Iu. Nat. l. 1. ff. de Conſt. Princ. Populo igitur pœna, ac depoſitio reſeruatur, ſi peccauerit Princeps in bonum publicum.
3 Ariſt. Polit. 3. Quinimmo cum Pontifex Summus ab Imper. ſceptrum, ac Diadema acceperit c. Conſtantinus 96. diſt. ſitq. Imperatore valde iunior, & ab eodem tam in veteri, quam in noua lege fuerit ſæpe depoſitus, vti conſtat inter omnes; tantum abeſt, poſſe Imperatorem à Pōtifice deponi, quaſi ab eo poteſtatem, quam habet, acceperit, vt ipſe Pontifex Imperatoriæ poteſtati ſubijci debeat.

4 Sed & ipſe Chriſtus, cuius ſe Vicariū Pōtifex gloriatur eſſe, Imperatoriam poteſtatē, agnouit cum Pilato ait. Io. 19. *Non haberes poteſtatem in me vllam, niſi datum tibi eſſet deſuper &c.* Et Pau. Apoſt. qui Petro æqualis perhibetur, appellat Cæſarem. Act. 25. *Ad Tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari.* Et inf. *Cæſarem appello.* Vbiq. igitur Cæſarea poteſtas agnoſcitur. Amplius vero tributum ſoluitur, iux. illud. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, &, quæ ſunt Dei, Deo.* Math. 18. Prohibetur gladij temporalis tractatio, vnde illud. *Conuerte gladium tuum in vaginam* dictum Petro. Ioan. 18. & illud B. ad Eugen. *Aggredere ſubditos verbo, ſed non ferro; quid vſurpare gladium tentas, quem ſemel iuſſus es mittere in vaginam?* Rurſus vero. *Gladium materialem habet Papa nutu, Imperator vero iuſſu, miles vſu, vel manu.* Et illud 1. ad Timot. 3. *Epiſcopum oportet non eſſe percuſſorem &c.*

5 Eadem gladij poteſtas negata Pontifici tributa eſt Imperatori immediate a Deo, ita, vt nihil penitus a Pontifice eſſe

eſſe videatur.Hinc Iuſt.Imp.in Auth.Quom. opor. Epiſc. in princ. *Maxima quidem in omnibus ſunt dona Dei à ſuperna collata clementia,Sacerdotium,& Imperium;illud quidem diuinis miniſtrans,hoc autem humanis præſidens, ac diligentiam exhibens, ex vno eodemq. principio vtraq. procedētia humanam exornant vitam.* Et in l.2.C.de vet.In Enucl. *Imperium, quod nobis à Cęleſti maieſtate traditum eſt &c.* Quod ſi Imperatori non credit Oldrad. conſ. 69. crēdat ſaltem Summo Pontifici, qui hoc ipſum confirmat in c. ſolitæ de maior. & obed. h. u. *Præterea noſſe debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento Cœli, luminare maius,vt præeſſet diei & luminare minus vt præeſſet nocti,vtrumq.magnū,ſed alterū maius. Ad firmamentū igitur Cęli, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, ideſt, duas inſtituit dignitates,quæ ſunt Pontificalis authoritas,& Regalis poteſtas;ſed illa &c.* At,vel vtriq. credendum,vel neutri,vt Dec.voluit d.c.nouit num.7.

6 Sed immo quælibet inferior poteſtas a Deo eſſe videtur,vnde ad Pilatum Chriſtus inferiorem Deo retulit poteſtatem prælaudato loco. *Non haberes*, inquit, *niſi data tibi eſſet deſuper.*

7 A Deo igitur eſt poteſtas.Electio vero,quę fuit olim Populi, hodie Electorum eſt ex probata conſuetudine, qua ius eligendi tribuitur,vel ipſo Pontifice aſſerente in c. venerabilem de elect.in c.ad Apoſtolicam de Re Iud. lib.6. Electorum igitur non eſt tribuere poteſtatem,quæ à Deo eſt,ſed perſonam determinare;idemq. eſſet, ſi ab eodem Pontifice diligeretur perſona Imperatoris, eius enim ſola electio foret, poteſtas vero aliunde, neq. enim qui ita deligit poteſtatem dicitur tribuere, niſi materialiter, vt dicunt,hoc eſt,per determinationem perſonæ.

8 Ex his,cum nihil a Pōtifice Imperator acceperit, eundem agnoſcere niſi in ſpiritualibus nō cōpellitur, & quod diſponit de Imperio Pontifex non niſi ex ſpirituali poteſtate profluit in ſequelam grauioris peccati, vt denegationis Iuſtitiæ,hæreſis, & ſim. non etiam leuioris, ne ſubuertatur Iuriſdictio alterius,quod abnuit S. P. in d. c. nouit de Iud. Cæterum de rebus Imperij Pontifex non diſponit,vt ſeruetur,quod in Canone ſcriptum. *Cum ad verum ventum eſt, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus*

*arripiet, nec Pontifex iura Imperatoris vſurpet, quoniam idē Mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus actibus proprijs, & & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſq. diſcernit.* referunt omnes in d.c.nouit.

9 Subnectam, quod Ludou. Imp. conſtituit, ſanxitq. priuilegijs omnibus ſpoliatum iri. Reumq. Maieſtatis cenſendum fore illum, qui Imperium a Pontifice eſſe audeat aſſerere. Conſtitutionem ſiue ſanctionem iſtam fideliter habet Alberic. in l. bene à Zenone C. de Quadr. præſcr. & ibi de veritate quæſtioni plura.

Secundæ opinionis, quæ abſolute concedit, fundamenta hæc ſunt.

10 In primis vnum conſtituendum caput, a quo profluat vtraq. poteſtas; peſſimi enim omnis multitudo eſt, optimus autem Principatus, ſi præſit vnus ex Phil. 2. Polit. Vni igitur ſubeſſe debent cæteri, Acephalos quippe omni iure damnatur, reprobaturq. c. nulla ratione 93. diſt. c. conſtitutus de Relig. domib. Omnes autem poteſtates in vnam, quæ Summi Pontif. eſt, referuntur inſtar militiæ Cœleſtis, vnde Greg. Pont. *Non poſſet* (inquit) *hæc hominum Vniuerſitas conſiſtere, niſi eam differentiæ ordo ſeruaret ad exemplum cęleſtis Militiæ, in qua ſunt Angeli, & Archangeli, Principatus, & dominationes, nec ſunt ęquales, ſed omnes ſub poteſtate.* Politicus hic ordo eſt, nec fugit Apoſt. *Dum* (inquit) *durabit Mundus iſte homines preſunt hominibus, & Angeli Angelis.* Vna vero eſt Summi Pontificis, de qua Hierem. in perſona Chriſti. *Ecce* (inquit) *conſtitui te hodie ſuper gentes, & Regna, vt euellas, & diſſipes* (puniendo ſcilicet, & corrigendo) *Item ędifices, & plantes* (honorando ſcilicet, & promouendo) Agnouitq. poteſtatem hanc Boniſ. Pont. in extrau. vnam Sanctam. *Si deuiat* (inquit) *terrena poteſtas, iudicabitur de ſpirituali.* Et rurſus franchorum Regi. *Noueris, te in ſpiritualibus, & temporalibus nobis ſubeſſe & oppoſitum ſentientes hereticos reputamus, & declaramus.*

11 At iſtud etiam neceſſarium videtur. Vnus enim Monarcha eſt, cui omnes infra tamquam vni principio reſpondent. At Imperator nō eſt huiuſmodi, Clericos enim non iudicat c. futuram Eccleſiam 12. q. 1. c. Clerici de Iudic., & Pontificem minus, qui a nemine etiam in temporalibus iudicatur, nec ab Auguſto quidem, immo de Au-

guſto

guſto iudicat,ſi de Eccleſia eſt,de qua tota iudicat c.ipſi 9.q.3. eiuſq. ſententias caſſat, & irritat d. Clem. paſtoralis de re Iud. Non iudicatur ab vniuerſali Eccleſia, niſi de hæreſi c.nemo 9.q.3.c.ſignificaſti de elect. omnes autem vel Clericos,vel Laicos iudicat,de quo canit Eccleſia. *Tu es Paſtor omnium, Princeps Apoſtolorum, tibi tradidit Deus omnia Regna Mundi.*

12 Hinc Seculi Reges perſæpe a Pontificibus depoſiti, vti paſſim & iura monent, & Hiſtoriarum Scriptores fideliter referunt;nam & Zacharius Pontifex, vt omittam cęteros,franchorum Regem a Regno depoſuit c.alius 15.q.6.*non tam,*inquit,*pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantę poteſtati eſſet inutilis.* Pipinumq. ſubſtituit, francigenaſq. omnes a Iuramento fidelitatis,quod ei fecerant, abſoluit.Expende,depoſitum á Pontifice, non, vt alij male interpretantur, deponentibus ad ſenſum a Pontifice pręſtitum; quis enim vno excepto Pontifice deponendi habuit authoritatem?

Quod ſi conſenſus pręſtitus eſt,inde Iuriſdictio, dominiũq. emergit l.lex,quæ tutores C.de adm.tut.arg.c. Paſtoralis de Donat.expende etiam, quæ, quantaq. ſit Pontefici poteſtas, a quo nedum iniquus Rex, verum etiam inutilis valeat ſolio iam acquiſito eijci,atq. expelli.

Hinc potentiſſimorum Regum Iuriſdictio ab Epiſcopis pẽdere videtur,ad quos electio,vnctio,Coronatio, baculi traditio ſpectat.Quod idem arguit, Imperatoris poteſtatẽ a Pontifice eſſe, quicquid Ludouicus ſanxerit,noſſe enim debuerat,fuiſſe ſe a Pontifice approbatum, confirmatũq. ac fidei,ſeu fidelitatis, obedientiæq. iuramentum præſtitiſſe,potuiſſeq. eijci ab eodem,alio imperium obtinente. Clem. Romani de Iure Iur. Clem. Paſtoralis de re Iud.c. venerabilem de Elect. Vnde præter ea, quæ frequenter notant,ſcilicet,translato a Græcis ad Romanos per Pontificem Imperio eligendi Imperatoris ius ab Apoſtolica Sede perueniſſe,præterea examen,vnctionem, conſecrationem, coronationem, manuum deniq. impoſitionem, probandi,improbandiq. ius ad Pontificem pertinere (ius enim eligendi aliorum eſt) colligo ego, diſſentientibus Electoribus partes ſuas Pontificem interponere poſſe, quo Iurdiſdictionis, Imperijq. eſt §.ſed ſi ex teſtamento

Inſt. de ſatiſd. tut.l.3.§.vlt.ff.de adm. tut. l. huiuſmodi §. vlt.ff.de leg.1.Elegantius vero in l.ſi vſusfructus 16.§.ſed ſi inter duos ff.de vſufr. ibi. *Quos Prętor Iuriſdictione ſua componere &c.* Potuit igitur de ſe ipſo Pōtifex in d.Clem. Paſtoralis aſſerere.*Non tam ex ſuperioritate,quam ad Imperium non eſt dubium nos habere,quam ex poteſtate, in qua vacante Imperio Imperatori ſuccedimus, & nihilominus ex illius plenitudine poteſtatis,quam Chriſtus Rex Regum,& Dominus Dominantium nobis licet immeritis in perſona B. Petri conceſſit &c.* Et in d.extrau.quam ſup.retuli.*Noueris, te in ſpiritualibus,& temporalibus nobis ſubeſſe &c.*

13 Hinc deniq. Imperatores multi depoſiti à Pontificibus sūt,de quibus paſſim Hiſtoriarum ſcriptores.Namq. Henricus 4.a Greg.7.Pont. Otho 4.ab Innoc.3.Fridericus 2.ab Innoc.4.vacante 25.annis Imperio Ludou.6.a Clem. 6.& paſſim,depoſiti ſunt;nec fuit de huiuſmodi poteſtate dubitatum.

His quæ diximus leuiora quædam , & quæ minus probare videantur, Cumulatores quidam adijciunt.

14 Primum,quod ab vnitate Eccleſiæ deducitur, vnam .ſ. eſſe Eccleſiam,vnumq. corpus myſtichum , vnum igitur eſſe caput c.quoniam de off. ord.ne ſit quid mōſtro ſimile c.per venerabilem qui fil. ſint legit. Caput autem Pōtificem eſſe,non Cæſarem c.aliorum 9. q. 3. c. 2. de Sac. vnct. Atq. ita quidem arguunt,quaſi Imperator poſſit dici Eccleſiæ caput, ſi ei ſoli concedatur temporalis poteſtas;quis enim neget, in diuinis vnum eſſe caput Summū Pont. cui Imperator ſubijciatur?

15 Secundum , quod a fine Reip. deſumptum ; finis vero felicitas eſt.Arguunt itaq; ad conſequendum Reip. finem Religione opus eſſe, nam felicitas à virtutibus , virtutes a Religione pendet, quę Iuriſgentium eſt ; Cumq. ſit Religionis caput Summus Pont. fateri oportere, eſſe apud eū omnem poteſtatem.En ſequela,ſi quę eſt,adeo enim male referunt, vt nec paruus fuerit in aptiori argumenti cōſtitutione labor. Equidem probari hoc vnum exiſtimarim , Rempub. abſq. Religione conſiſtere non poſſe , cuius caput Pontifex eſt , ideoq. obedientiam ei deberi in his, quæ Religionis ſunt.

16 Tertium ab vnione Chriſti hypoſtatica ductum inſipi-

de.

de. Dicunt ratione hypoſthaſis tribui humanitati, quod diuinitatis eſt; Cum igitur Deo,vt Deo, tribuatur omnis poteſtas,ergo Deo, vt homini, quem vt hominem Pontifex repræſentat.Argumentum,vt vides, in ſolo Chriſto valet!,qui ſolus humanam ſibi naturam hypoſtatice vniuit. Euincit præterea Pontificem Regnum habere æternum,quod eſt abſurdiſſimum, Chriſtus enim vt Deus habuit æternum. Deniq. ſi Chriſtus,vt homo, temporalem abnuit poteſtatem, quod infra probatur, Pontifex vnam habet ſpiritualem vi præfatæ argumentationis.

17. Quartum ab Exemplo. Quia nedum Sacerdotes cæteri vtramq. exercuiſſe videntur poteſtatem,c.relatum 11. q.1.ſed ipſemet Chriſtus,dum funiculis congeſtis, & flagello facto eiecit vendentes, ementeſq. è templo &c. Math.21. Mar.11.c.ex multis 1.q.3.Transtuliſſe vero hanc eandem in Petrum poteſtatem, dum ait. *Paſce oues meas* non diſtinguens paſcendi modum.Et dicente Petro. *Ecce duo gladij hic.*reſpondens Chriſtus.*Satis eſt* inquit, non autem *nimis eſt.*Petro deniq. educenti gladium imperatum eſt ſolum,vt in vaginam mitteret, quaſi interdicto ſolum exercitio, nō vt abijceret. Penſanda vero in Chriſto omnia, qui figuratiuè loqui ſolebat, quæ tamen cum varias habeant interpretationes, neceſſitatem nullam habent. Omitto innumeras prope rationes,vel authoritates, quæ paſſim afferuntur.

Quintum ab auth. Summi Pont. & ibid. Canoniſtarum teſtimonio in c. per venerabilem qui fil. ſint legit. in c. ſolitæ de maior. & obed.

3. Opinio quæ limitat,& diſtinguit,veriſsima eſt.Nec vero illam probo,quæ magis frequens inter Conſultos Iuris teſte Dec.in d.c.nouit num.7.de Iudic.videlicet,Pontificē habere temporalem poteſtatem habitu,ſeu potentia, non actu,ſeu exercitio, licet diſſoluat hæc nodos, & vtramq. vel negantem,vel afferentem conciliet, ſed quam Theologi frequentius approbarunt, & cum ijs, quorum plurimos refert, *Illuſtriſs.* Card. Bellarm. Polit. quem nuper præripuit mors,Author vndiq. inſignis, purpuratæ Curiæ decus, quæ animi virtus, quæ vitæ ſanctitas d. lib. 5. de Roma. Pont. c. 4. & 6. Arguit hunc temere barbarulus quidam;Author, ſi credas, qui neq. ſtylo, neq. doctrina,

neq.

neq. ingenio, nec deniq. iudicio polleat. At quid tu? inquies.

Non refert. Ambo canemus cum Lyrico, nec ſero.

Vertumnum, Ianumq. liber ſpectare videris.

Sequar probatam Bellarmino ſententiam inter conſultos Iuris, licet apud eos vel minimum detrahere Pontifici impium quoddam ſit, rerum plerunq. principia ignorantes, prout non ſui, ſed aliorum ſunt.

Is directè negat vllam eſſe Pontifici temporalem poteſtatem, indirectè affirmat cum Theol. comm. Ratio multiplex in cap.7. Potiſsima vero, quia Chriſtus, quem vt hominem Pontifex repræſentat, dum in terris degeret, temporale Dominium prorſus recuſauit.

Recuſauit autem quaſi inutile, quaſi ſuperuacaneum; finis enim erat humani generis redemptio, & huius gratia ſpiritualis poteſtas, nec erat opus ſeculari.

Recuſauit, vt indecens, nam Chriſti Regnum æternum eſt, nec obnoxium tempori Dau. pſal.2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montē Sanctū eius, prædicans &c.* Fuit Chriſtus, vt Dei filius Rex, terrarumq. Dominus, ſicut & Pater; Regno autem potitus æterno, cuius Pontifex incapax eſt, quoue hominum Dominia non inuertuntur. Vt homo Rex omnium Regum fuit in ſpiritualibus, omnemq. habuit poteſtatem, qua omnes homines ſaluos faceret. Rex vt fieret ſeculi abduci non potuit, abhorruitq. maxime, ſciens enim Regem ſe conſtituendum eſſe, aufugit, ſeceſsitq. in partes alias, *Io. 6.* vocatuſq. in cauſa Iudex reſpondit. *O homo, quis me Iudicem conſtituit, aut diuiſorem inter vos?* Luc. 12.

19 Confirmantur hæc, nam, vel hæreditaria ſucceſsione, vel iure electionis, aut belli, vel ſingulari dono Regnum conſecutus eſt Chriſtus. Succeſsio nulla eſt, fuerat enim è familia Dauid Regnum ſublatum, prædictumq. a Deo, ex familia Iechoniæ, vnde Chriſtus deſcendit, nullum tēporalem fore eo modo Regem, quo Dauid, Succeſſoreſq. eius fuerant. Hier. 22. *Hæc dicit Dominus: Stribe virum iuſtum, ſterilem; virum, qui in diebus ſuis nō proſperabitur, neq. enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Electio nulla. Bellū nuſquam commiſſum. Speciale donum ignoratur; immo

Re-

*Regnum meum non eſt de hoc mundo* interroganti Pilato reſpondetur.

20 Affirmat vero indirecte Bellarm. cum comm. penes Pont. temporalem eſſe poteſtatem, prout ſpirituali bono conducit. Temporalem igitur poteſtatem ſpirituali ſubeſſe, præeſſe vero ſpirituale, vti ſpiritus Carni præeſt; ſubeſt enim caro, ſpiritus imperat, coercetq. vbi opus eſt, carnis petulantiam, neq. tamen eius ſe miſcet actionibus. Sic ſpiritualis poteſtas imperat, coercetq. temporalem poteſtatem, vbi opus eſt, ad ſpirituale bonum, eius tamen vllatenus non ſe immiſcet actionibus, efficiturq. vnum cum ea corpus, quando illi iungitur, prout Spiritus, & caro vnũ corpus conſtituunt.

Ex his, quæ ſit Pontifici poteſtas facile intelliges, ſi cæterorũ Principum comparaueris poteſtati. Pontifex nempe, vt Pontifex eſt, non ex ordine, ſeu tanquam ordinarius Iudex ſeculi Principes deponere poteſt, iuſta etiam ſubſiſtente cauſa, prout ex ordine deponit Epiſcopos; poteſt tamen vt Spiritualis Princeps hæc omnia facere, ſi viderit animarum ſaluti expedire.

Item Ciuiles condere leges, aut confirmare, ſeu abrogare conditus, cum non ſit Princeps Eccleſiæ politicus non poteſt, vt Pontifex; poteſt tamen & hoc, ſi exigat, animarum ſalus, abnuente etiam Rege ſeculi. Hac etiam de cauſa, ſi quæ ſit Ciuilis lex animarum incolumitati noxia, poteſt eam vel inuito Rege ſeculi abrogare, nouaſq. promulgare, promulgatiſq. conſentire.

Deniq; non licet Pontifici in Secularibus cauſis, niſi de ſpirituali ſalute agatur, iudicium ex ordine proferre ſuum; vnde & D. Bern. ad eugen. lib. 1. de Conſid. *Habent hæc inferiora Iudices ſuos Reges, & Principes terræ; quid fines alienos inuaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? Item. in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra.*

Satis pro verioris ſententia dictum. Componit hæc omnes facile controuerſias; At pauca quædam vel cum negantibus, vel cum aſſerentibus dicta ſunt, quæ diligentius conſideranda, & breuiter.

21 Quod primo cum negantibus dictum, falſum eſt. Oporteret enim alteri alteram opponi poteſtatem, quod ſani

capitis nemo dixerit. Nec video cur ſpecie differant. Qui-nimmò ſubijcitur Ciuilis poteſtas ſpirituali poteſtati, ſubordinaturq; in ipſam, quaſi in proprium finem, fiuntq; vnum corpus, vbi iunguntur, vt dixi; & vide tex. in c. ſi quis obiecerit. 1. quæſt. 3.

Quod ſpectat ad populum inopportune deducitur, quid enim ante Chriſti aduentum factum fuerit, non curamus; cumq; hodie Imp. non eligatur à Populo, depoſitió etiam aliunde expectatur.

22 Conſtantinus vero (ſi tamen ex eo cap. neceſſitas aliqua ſit) reſtituit potius, quod erat Pontificis, quam ei donauerit quicquam.

Hoc ipſum dona indicant, nimirum Primatus ſuper ſedem Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolimitanam, & Conſtantinopolitanam, omneſq; totius Orbis Eccleſias. Apex Sacerdotalis dignitatis; facultas decernendi de his, quę ad fidem, & ſtabilitatem Chriſtianæ Reip. procuranda ſunt. Atqui hæc omnia à Chriſto Petrus, Succeſſoreſq; habuere, nec minus Phrygium, cæteraq; ornamenta à Deo, ab Apoſtolis inſtituta ſunt. Nihil ergo tribuit Imperator, ſed authoritate, ac viribus impedimenta omnia, quibus ea, quæ diximus, & huiuſcemodi alia haud facile expediri poterant, obtruncat, ſeq; Chriſti militem, Eccleſiæ Tutorem præbet, ita vt eiuſdem beneficio nihil fuerit ſummo Pontifici additum, ſed quod erat ſuo decori reſtitutum.

23 Quod autem Pontifex ſit Imperatore valde iunior, ſi de Chriſtiano Imperatore loquamur, falſum eſt. Abſolute etiam falſum, ſi veteris Sacerdotij meminerimus. ſed, vt iam dixi, quæ ante Chriſti aduentum, quo Imperatoris poteſtas Pontificiæ authoritati eo, quem diximus, modo ſuppoſita eſt, veriori ſententiæ non refragantur.

Supereſt, videamus, quomodo Chriſtus, & poſt eum Paulus Cæſaream poteſtatem agnouerint; cætera enim diligentiori examine non indigent; & quod pręcipue obijcitur, gladij poteſtatem abnegatam Pontifici adeò Imperatori tributam Immediate à Deo, vt nihil prorſus à Pontifice eſſe videatur, erroneum manifeſto eſt.

De Chriſto non vno exiſtimatur modo. Vel enim de permiſſione diuina, non etiam de poteſtate iuriſdiſtionis locutus eſt Chriſtus ex Cyril. & Chriſoſt. vt ſit ſenſus. *Non poſſes*

*in me facere quicquam, niſi permitteret Deus* Reſpondet illud Lu. 22. *Hec eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Vel quod ait *deſuper,* retulit ad Cæſarem; habuit enim Cæſar in Iudęos poteſtatem, & ab eius Præſide Chriſtus vti priuatus inter Iudęos iudicatus eſt, quippe ſuſpicatus fuerat Præſes, non etiam pro certo habuerat, Chriſtum Dei filium eſſe. Hec extra rem, quod ſequitur, *Propterea, qui me tibi tradidit, maius peccatum habet.* Ac ſi dixiſſet. Hoc in me Pilate facis, quia times Cæſarem, ideoq; peccas, cùm magis Deum timere debueras, quam Cæſarem; At multo grauior eorum culpa eſt, qui me tibi tradiderunt, vt qui nullo hoc faciunt metu, ſed liuore, vel odio. Hæc Aug. & Bernar.

Eodem modo Paulus appellat Cæſarem, cum de ſeditione accuſaretur; quem enim appellare debuerat, qui ſub Ethnicis degebat, quorum Pontifex non erat Iudex? factum præterea iſtud, quia voluit Pau. cum tamen iure compelli non potuerit.

Quæ vero cum affirmantibus de Pontifice diximus, ſpirituali poteſtati tribuenda ſunt, quæ temporalem trahit in gratiam ſpiritualis boni ex veriori ſententia.

25 Neq; Imperatoris Monarchiam, quod inſipientes faciunt, in controuerſiam vocari decuit, cum & Clerici ſubeſſe videantur, vbi ſecularibus ſe ſe negocijs immiſcent. c. magnum 11. quæſt. 1. de quo tamen audiẽdus Bellarm. per quam prædicta omnia diſtinguens de Cler. lib. 1. c. 28. per totum, at que alibi paſſim.

Vnus itaq; Pontifex in ſpiritualibus, vnus in temporalibus Imperator eſt, vel fruſtra duo illa luminaria, de quibus in c. ſolitæ de Maior. & obed.

Nec vero deſunt, qui in d. c. ſolitæ retorqueant Innocentij Pont. authoritatem, cum etenim ea ſit inter Summum Pont. Imperatoremq; proportio, quæ inter Solem, ac Lunam, hæc vero lumen, ſplendoremq; ſuum mutuetur à ſole, videtur à Pontifice Imperator lumen ſuum, hoc eſt quicquid habet poteſtatis, authoritatiſq; accepiſſe.

Alij contra ſuam dicunt eſſe lunæ operationem, ſiue ab Angelo mouente; à Sole autem non eſſe agendi vim, ſed lumen, quo melius ipſa, maioriq; virtute operetur Imperiũ quoq; non ab Eccleſia pendere, ſed recipere ab ea lumen.

Erat

*Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* & de luce fidei loquitur.

Inſtant vero primi, Angeliq; ad Orbem lunæ coniunctionem eſſe per accidens, non per ſe, atq; eſſentialiter, operationeſq; lunæ licet diuerſas ratione ſubiecti corporis ex influentia à Solis lumine proficiſci contendunt.

Sentio equidem, quæ, quantaq. ſit huiuſmodi in rebus ſuperſtitio, ſed nil prohibet fateamur, veriori ſententiæ cōtinuo hærentes, Imperatoris authoritatem, pure, & ſimpliciter à Pontifice non pendere, ſecundum quid pendere. Eſt quidem poteſtas Imperatoris a Deo, ſed ſubordinata, vt aiunt, in finem ſpiritualis boni, vnde in hoc ſaltem a Pontifice pendet, refulget, coerceturq; in vim ſpiritualis poteſtatis, vt a recto virtutis, Religioniſq; tramite non recedat, ſpiritualiſue rei aduerſetur. Qua ratione adeo in Imperium profluit, ſeu influit Pontificia poteſtas, vt quaſi Sol ad Lunam eſſe videatur. Comparatio non arguenda quidem, ſed neque ad ſummum, vt dixi, ſuperſtitioſe trahenda.

26 Neq. obſunt ea, quæ vti ſingularia adnotauimus, depoſitum videlicet a Pontif. Galliæ Regem, quia inutilis in d. c. alius.

Item Pontificis eſſe munus in electorum diſſenſu partes ſuas interponere & c. Namq; in primo non excluditur iniquitas, vbi dictum. *Non tam pro ſuis iniquitatibus.* Præterea deponi Regem à Pontifice, ſi inutilis ſit, nec mirum recte intuenti, eſt enim Eccleſiæ membrum, quod, vel corruptum ſit, vel inutile, Eccleſiæ nocet, cui & tuitionem debet, & obſeruantiam, & fidem; Ad 2. vero quod pertinet, poteſt in vim ſpiritualis poteſtatis Pontifex partes ſuas interponere, ne careat ſuo donfenſore Eccleſia, vt nemo dubitat.

27 Quibuſdam negocium facit percelebre illud Innoc. Pont. reſcriptum in d. c. per venerabilem. Qui fil. ſint legit. quo probat, habere ſe in alienis terris legitimandi ius, etiam quoad temporalia; legitimationem vero Iuriſdictionis, Imperijq; eſſe nemo dubitat. Sed & alia plura ſingulariter adnotantur; quæ recenſenda ſigillatim.

In primis non Eccleſiaſtica modo, verum etiam Secularia à Pontifice iudicari, Principes omnes, Regeſq; ſubijci, dum in

in qualibet cauſa, cuius difficile, ambiguum ve iudicium ſit;, conſulendus eſt Pontifex ſub pœna. Verba ſunt hec, quæ ex Deuter. tranſcribuntur, exponunturq; à Pontifice.

*Si difficile, & ambiguum apud te Iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, & iudicium inter portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſq; eorum ſententiam; qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, decreto Iudicis morietur.*

Hactenus Deuter. Sequitur Interpretatio Pontificis.

*Sane cum Deuter. Lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt id, quod ibi decernitur, in nouo Teſtamento debeat obſeruari; locus enim quem elegit Dominus Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur, cum enim Petrus Vrbem fugiens exiuiſſet, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, reuocare, interrogatus ab eo. Domine, quo vadis? Reſpondit. Venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis fratres noſtri, qui nobis iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij coadiutores exiſtunt; is vero ſuper eos Sacerdos, ſiue Iudex exiſtit, cui dominus inquit in Petro. Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cęlis. Eius Vicarius, qui eſt Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, conſtitutus a Deo Iudex viuorum, & mortuorum. Tria quippe diſtinguit Iudicia. Primum inter ſanguinem, & ſanguinē, per quod criminale intelligitur, & Ciuile. Vltimū inter lepram, & lepram, per quod Eccleſiaſticum, & criminale notatur. Medium inter cauſam, & cauſam, quod ad vtrumq; refertur, tam Eccleſiaſticum, quam Ciuile, in quibus cum aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, ad iudicium eſt ſedis Apoſtolicæ recurrendum, cuius ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur, ideſt, per excommunicationis ſententiam veluti mortuus a communione fidelium ſeparari. Paulus etiam, vt plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinth. ſcribens, ait. Neſcitis, quoniam Angelos iudicabitis? quanto magis ſecularia?*

Hæc.

Hæc Innoc. qui tamen paulo ante in eodem cap. non ſemel docuit, quid ſentiendum in huiuſmodi poteſtate ſit, legitimat enim in dominio alieno quoad ſpiritualia directo, & præcipue; quoad temporalia vero indirecto tantum, & per conſequentiam quandam, directo vero, & quoad omnia legitimat in dominio proprio, vt Panorm. adno-tat, neq; obſcura ſunt verba Pont.

*Videretur ſiquidem monſtruoſum, vt, qui ligitimus ad ſpirituales fieret actiones, circa ſeculares actus illegitimus remaneret, vnde cum in ſpiritualibus diſpenſetur, conſequenter intelligitur in temporalibus diſpenſatum. Id autem in patrimonio B. Petri libere poteſt Apoſtolica ſedes efficere, in quo & Summi Pont. authoritatem exercet, & Summi Principis exequitur poteſtatē.*

Quaſi vero in aliena Iuriſdictione ſummi Principis poteſtatem non exequatur. Inſuper legitimare ſe in terris alienis ex prorogatione quadam fateri videtur, dum ait.

*Inſuper, cum Rex ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcat, ſine Iuris alterius læſione in eo ſe Iuriſdictioni noſtræ ſubiçere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per ſe ipſum nō tanquam pater cum filijs, ſed tanquam Princeps cum Subditis potuit diſpenſare. Tu autē noſceris alij ſubiacere, & infra.*

Quod ita ſuppletur. *Vnde ſine ipſorum forſan iniuria, niſi præſtarent nobis adſenſus, in hoc te ſubdere non poſſes.*

En igitur Summus Pont. expectat ad legitimandum Principis adſenſum, vt nec male omnino videantur adnotaſſe Innoc. & Butr. ad hoc cap. nec non Bar. in l. 1. C. de Sum. Trin. num. 41. Bal. (vti referunt) in l. 1. C. de Iure Iur. Summo Pont. in alienis terris non eſſe legitimandi poteſtatem quoad ea, quæ ſuæ Iuriſdictionis non ſunt, vt hæreditates, & conſim.

Hæc itaq; omniā ſuffragantur maxime, verioremq; ſententiam probant, nedum aduerſentur; Nec minus quod initio dictum eſt, veriori adhæret, Summum Pont. caſualiter tantum, & in arduis iudicare poſſe in aliena Iuriſdictione, agit enim ex vi ſpiritualis poteſtatis, quæ Architectonicæ quaſi fungitur officio omnium pene Theologorum teſtimonio. Audi præcedentia Pontificis verba.

*Rationibus igitur his inducti Regi gratiam fecimus requiſiti, cauſam tam veteri, quam ex nouo teſtamento tradentes, quod non ſolum in Eccleſiæ Patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus*

*libus gerimus poteſtatem, verum etiam in alijs Regionibus certis cauſis inſpectis temporalem Iuriſdictionē caſualiter exercemus, non quod alieno Iuri praiudicare velimus, ſed quia, ſicut in Deuter. continetur, ſi difficile, & ambiguum &c.*

Si in quibuſdam, & arduis, ergo non in omnibus, ne ſit de parte prædicatio, illatio vero ad totū. Præterea, ſi in vim ſpiritualis poteſtatis, qua ſola iuri alieno non detrahitur, ergo non temporalis. Cœtera plana ſunt.


*Forus animæ eſt forus Dei.* 1
*Inferior non iudicat in foro Superioris.* 2
*Nemo obligat, vbi non cognoſcit.* 3
*Nemo ligat, vbi non ſoluit.* 4
*Nemo ad pęnam obligat, quam nequeat infligere* 5
*Ligare conſcientiam quid?* 6
*A temporali poteſtate ſpiritale vinculum non eſt.* 7
*Ciuilium iurium directio & finis.* 8
*Imperatorum Iuriſd. in temporalibus præfinita.* 9
*Peccati definitio ex Auguſt.* 10
*Peccatum idem bis non punitur.* 11
*Princeps quaſi arbiter.* 12
*Communis ſenſus illiteratorum ſequendus.* 13
*Populi intentio in recipienda lege.* 14
*Humanum genus temporalis pęnæ metu exterretur magis, quam æternæ.* 15
*Princeps nouos cultus non inſtituit.* 16
*Duo capita in Eccleſia monſtrum præſeferunt.* 17
*Humana l. conſcientiam obligari, ſuperfluum videtur.* 18
*Obligatio legis in conſcientia diuinæ ſcripturæ locis comprobata.* 19
*Princeps legem condit, quaſi Dei miniſter.* 20
*Principis poteſtas non limitata a Populo.* 21
*Naturę, & diuino Iure pręcipitur iuſtę legis obſeruatio.* 22
*Neceſsitas obligationis interioris exemplis, & rationibus oſtenditur.* 23
*Regulę proprium dirigere.* 24
*Homo obligat in foro Dei, & quomodo.* 25
*Quomodo lex obliget in foro interno.* 26
*Quomodo iudicet homo de conſcientia alterius.* 27
*Quomodo in aliquo foro liget, qui ſoluere nequeat in eodem.* 28

*Quomodo Princeps ad pœnam obliget, quam nequit infligere.* 29
*Quomodo a temporali poteſtate ſpirituale vinculum procedat.* 30
*Quomodo Ciuilium conſtitutionum fines obligationi interiori reſpondeant.* 31
*Spirituales, ac temporales pœnę pro eodem crimine concurrunt.* 32
*Princeps male arbitrio comparatus.* 33
*Subditorum intentio in recipienda l. negligitur.* 34
*Iuſti ac probi ſpirituales pœnas magis horrent, quam temporales.* 35
*Quanam ſub ratione cultus obligent.* 36

VLtima diſputatio eſt de obligatione legis in foro animæ; proponit Abb. num. 9. ſequuntur cæteri.

Prima quęſtio erit de lege Ciuili 2. de lege Canonica 3. de vtraq. pœnali.

In 1. quæſt. Vtrum lex Ciuilis obliget in foro animæ, negantium partes ſuſtinet Gerſ. 3. par. tract. de vi. ſpir. circa quem feliciter ad laborant Suar. & Sal. locis infra adnotatis, vbi etiam recenſent alios, videl. Sot. de Iuſt. & Iu. lib. 1. q. 6. art. 4. ex noſtris Io. de Imo. cap. 2. de maior. & obed. & c. cum contingat de Iure Iur. Dec. in c. nam cõcupiſcentiam h. t. lect. 1. circa fin. Ferret. cum alleg. hic num. 7.

Hanc eandem ſententiam hæretici ſequuntur per paucis exceptis, hic quidem optime ſentientibus, cęterum plane impijs, quos omitto.

Probant 1. diuinarum ſcripturarum, ac Iurium authoritate. Mar. 7. legitur. *In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & pracepta hominum, nam omiſſo pręcepto Dei tenetis doctrinas hominum, & irritum facitis verbum Dei per conſtitutionem veſtram.* Et Math. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauerit Pater meus Cœleſtis eradicabitur.* Et eiuſdem Math. 23. *Alligant onera grauia, & inſupportabilia, & imponunt humeris hominum;* Quæ verba haud incongrue de humanis conſtitutionibus accipienda videatur. Et Deuter. 12. in fi. *Quod pręcipio tibi hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas.* Et Iaco. Epiſt. 4. *Vnus eſt Legiſlator, qui*

*poteſt*

*poteſt ſeruare, & perdere.* Et Pau. Gala. 5. *In libertate, qua Chriſtus vos liberauit, ſtate, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini.* Et Coloſſ. 2. *Videte, ne quis deprædetur vos per inanem deceptionem iuxta conſtitutiones, hominum, & non iuxta Chriſtum.* Et inf. *Si mortui eſtis cum Chriſto, ab elementis mundi, quid quaſi viuentes in Mundo decretis tenemini?* Et Corint. 7. *Empti eſtis pretio magno, nolite fieri ſerui hominum.* Et Rom. 4. *Lex iram operatur.* Et 1. ad Tit. monet, vt *ſani ſint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & præceptis hominum aduerſantium veritati.* Hæc ſunt, quibus fert nituntur hæretici.

1 2. Arg. Quia forus animæ eſt forus Dei; nulla igitur lex humana in eo foro obligare poteſt.

Adſump. prob. quia forus iſte interior eſt, intuſq. in mente, vbi conſcientia reſidet hominis, exercetur; quare, & forus conſcientiæ nuncupatur, & forus poli, ſiue Dei ab Auguſt. c. vlt. 17. q. 4.

Conſeq. patet ex plurimis.

2 1. Quia inferior non poteſt iudicare in foro Superioris, quare nec homo in foro Dei.

3 2. Quia nemo obligare poteſt, vbi cognoſcere non poteſt, quia nec quiſquam poteſt obligare, vbi non poteſt iudicare l. vlt. ff. de Iuriſd. om. Iud. c. 2. de Conſtit. in 6. homo autem non cognoſcit, nec iudicat de conſcientia hominis.

4 3. Quia nemo in eo foro ligare poteſt, in quo ſoluere non poteſt, nam duo hæc ſibi mutuo reſpondent c. quod autem de Pœnit. & remiſſ. Lex autem humana nec ſoluit, nec culpam dirimit in foro Dei.

5 4. Quia nemo ad pœnam obligat, quam infligere non poteſt; arg. l. vlt. ff. de off. eius &c. Quemadmodum Iudex ſecularis ſub pœna excommunicationis, aut Iudex Eccle-

6 ſiaſticus ſub pœna mortis præcipere non poteſt. At obligare in foro animæ, aut ligare conſcietiam nihil eſt aliud, quam ſub pœna Inferni, aut Purgatorij, quæ humana lege infligi non poteſt, iubere aliquid, aut vetare.

7 5. A temporali poteſtate ſpirituale vinculum egredi non poteſt c. decernimus de Iudic. huiuſmodi vero eſt ligamen conſcientiæ; Magiſtratui autem ſeculari nullum in animas, & conſcientias Mortalium competit Imperiũ

directiuum, aut coactiuum, quippe iſtud ſolius Dei eſt, qui vnus eſt Legislator potis ſeruare, & perdere Iac. 4.

8 6. Nam Ciuilia iura ordinantur ad externam politiam, eorumq. finis eſt pax eterna, nec enim tendunt ad bonũ animæ c. vlt. cum not. de Præſcript. ſed ad conſeruationem humanæ ſocietatis vnde,& contrauenientes puniũt, & actuum nullitates inducunt l. non dubium C.de ll.

9 Nec valet, Imperatores diuinitus promulgaſſe leges, namq. eorum Iuriſdictio in temporalibus præfinita eſt, & in rebus aut perſonis Eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus non licet eis ſe ſe vllatenus immiſcere, quicquid etiam expreſſe ſtatuerint c.Eccleſia Sanctæ Mariæ h. t. c. decernimus de iudic.c.vlt. de reb. Eccl. non alien. Et ligandi, ſoluendiq. poteſtas ſoli Petro, & Apoſtolis data eſt, atq. ita Eccleſiaſticis perſonis.Math.16.Io.20.Quare vt diſerte habet Auguſt. in c. qui reſiſtit 11. q. 3. Imperator carcerem, Deus autem gehennam minatur.

10 3. Arg. præbet definitio peccati ex Aug. 22. contra fauſti c. 27. Vt ſit quid factum contra legem Dei. Quare factũ contra legẽ hominis, vt ſic,non eſt peccatum,& conſequenter lex hominis, vt ſic non ligat conſcientiam.

Confirm. 1. nam ſeruare diuina mandata ſatis eſt ad æternam vitam Math. 19.

11 2. Nam,ſi lex Ciuilis animam ligaret, idem peccatum bis puniretur, ſemel hic a Principe ſeculari, & a Deo ſemel poſt hanc vitam,quæq. in fauorem Ciuium introducta eſt ſecularis poteſtas,detorqueretur in odium,ſi pœna quoque æterna afficeret tranſgreſſores, contra l. quod in fauorem ff.de ll.l.non ideo minus C. eod. l. legata inutiliter ff.de leg.1.

12 4. Arg. Nam Princeps quaſi quidam arbiter eſt. Arbiter autem cum ex commiſſione, atq. conceſſione Colligatorum præfinitam habeat Iuriſdictionem, ſi ijdẽ Colligatores ſententiæ, aut præcepto eius non obtemperãt, poteſt quidem eos punire,ſed intra terminos, ac menſuram ſibi datam, quare ea tantum pœna tenentur, cui ſe ipſi ſubdidere l.cum antea C. de Arbitr. Princeps igitur, cui ſe Populus commiſit, nec aliunde vel minimum habuit poteſtatis, & Iuriſdictionis non poteſt legibus a ſe latis Ciues punire, aut mulctare vltra fines, aut menſuram

poteſta-

poteſtatis, & Iuriſdictionis ſibi traditæ l. vlt. ff. de Iuriſd. &c. At vero ligandi conſcientiam nullam habuit, aut habere potuit a Populo; ergo &c.

13 Confir. 1. Nam communis ſenſus illiteratorum, qui magni faciendus eſt, quaſi naturali iuri, & rationi valde congruens non exiſtimat, Ciuilibus legibus animam illigari.

14 2. Nam, quo tempore rogatur lex, recipiturq. à Ciuibus omnes hoc animo videntur eſſe, vt vel legi pareatur alternatim, vel temporalis pœna ſubeatur, qua ie non debeat ad æternam pœnam citra intentionem obligari arg.l.ſi quis cauſam ff. ſi cer. pet. Immo lege cautum eſt, eum, qui aliquid facere, aut non facere promiſerit, ad id tantum, quod intereſt, obligari, aut ad pœnam adiectam, expreſſamq. a contrahentibus §.vlt. Inſt. de verb. obl.

15 3. Quia nemo tam inexpertus eſt, vt ignoret, humanũ genus prolapſum in omnes prope dixerim, perfidias, a communibus delictis non tam diuinæ æternæq. pęnæ metu deterreri, quam temporalis. Quamobrem homines ad æternam pœnam obligari, & ſuperfluum videtur, & quod maiores laqueos eorum animis iniiciat, hoc autem omni ſtudio, ac diligentia præcauendum eſt.

16 4. Quia ſi poſſet Princeps obligare conſcientias ſubditorum, poſſet etiam nouos cultus inſtituere, quod abſonum eſt.

17 Item ponerentur duo capita cum æquali poteſtate in Eccleſia Dei, quod & monſtruoſum eſſet, & aduerſus rationem tunicæ illius inconſutilis, qua repræſentatur Eccleſia. Extrau. vnam Sanctam de Maior. & obed. Gl. clem. ad noſtram de hæret. ver. Eccleſiæ.

18 5. Arg. Nam ſi quod aut Ciuili lege, aut à Principe iubetur, adeo æquum, bonumq. eſt, vt eius contrarium illicitum ſit, aut nefarium, tunc illud vel diuina, vel naturali lege comprehenſum inuenietur. Quod ſi ita noxium non eſt, vt diuino, aut naturali Iure prohibeatur, quale decretum illud de armis noctu non deferendis, & ſim. obligat profecto, non tamen ad æternam pęnam, ſed temporalem.

Confirm. Nam, quę libuerint nobis cenſentur permiſſa omnia, niſi naturalibus, aut diuinis præceptis æternam

pœnam inferentibus interdicta comprahendãtur. Quicquid itaq. Princeps iuſſerit, de genere permiſſorum ante fuerat,& naturalis libertatis, ac laxitatis humanæ. Quapropter, ſi violatum fuerit citra contemptum Legislatoris pœnam aliam non expectat, præter eam, quam ipſemet Legislator impoſuerit.

6 Arg. Magis obligat minutiſsima lex diuina, quam grauiſsima lex humana. At minutiſſima diuina, qua prohibetur officioſum mendacium, ſolum obligat conſcientiam ſub veniali, igitur grauior humana nullo modo.

Contraria ſententia omnium pene Theologorum, Iuriſcõſultorumq. eſt. Immo in lege Eccleſiaſtica de fide. In lege etiam Ciuili plurimorum ad ſenſu; Verum nec pauci sũt, qui nolint eſſe de fide in Ciuili conſtitutione, dicunt tamẽ rem adeo certam eſſe, vt omnino temere contradicatur. Aſſertio itaq. aut de fide eſt, aut fidei proxima. Vide Suar. de ll. lib. 3. c. 21. cum ſeq. cap. & lib. Salas ibid. q. 95. tract. 14. diſp. 10. Sect. 1. cum ſeq. Beca. Sum. Theol. p. 2. tract. 3. cap. 6. q. 2. Rip. hic & cap. quæ in Eccleſiarum inf. eod.

19 Probant innumera ſacræ ſcripturæ loca apud eoſd. In primis quod legitur Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Vel enim ſolummodo de poteſtatibus ſecularibus loquitur Apoſt. vel præcipue; quod patet ratione adiecta. *Non enim ſine cauſa gladium portant.* Subiungit autẽ. *Nõ eſt poteſtas, niſi a Deo, quæ autẽ ſunt a Deo, ordinata ſunt.* Infert poſt. *Itaq. qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationẽ acquirũt.* ſupp. æternã. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote nõ ſolũ propter irã, ſed etiã propter conſciẽtiam.* Auguſt. legit *Neceſſitati*, hoc eſt *publicæ poteſtati.* At vulgo legunt *neceſſitate* nec tamen ſenſus alius eſt, qui magis explicatur, dum dicitur. *Non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*: Ridiculũ enim eſt,& ab re, verbis, & ſententia Pauli, quod aliqui interpretantur. *propter conſcientiam beneficiorum*. Et quod alij. *ne aliorum conſcientiæ ſitis ſcandalo.* Et quod hæretici. *Vt ob conſcientiam delictorum ſuperioribus honorem præbeatis.* Namq. manifeſto Apoſt. iram opponit conſcientiæ, hoc eſt, obediẽtiam ad vitandã pœnam opponit obedientię ad vitandã culpã, Et dũ ait. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi*

*reſiſtit*,

*reſiſtit*, plane loquitur de cõtumacia aduerſus Dei manda-ta. *Iram* igitur interpretabimur timorem pœnæ a ſeculi Principibus infligendæ *conſcientiam* vero animæ culpã, & proinde alterius vitæ pœnam.

Sic legimus 1. Pet. 2. *Subditi eſtote omni Creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus &c. quia ſic eſt voluntas Dei.* Et 1. Reg. 8. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et Prou. 8. *Per me Reges regnant, & legum Conditores iuſta decernunt.* Vnde Auguſt. Epiſ. 166. *Quando Imperatores veritatem tenent, pro ipſa veritate cõtra errorem iubent, quod quiſquis contempſerit, ipſe ſibi iudicium acquirit, nam, & inter homines pœnas licet, & apud Deum ſortem non habebit* .ſ. æternæ felicitatis.

10 Ex his colliguntur rationes, quarum prima ducitur ab authoritate Principis, ſeu Legiſlatoris, is enim legem ſtatuit quaſi Dei miniſter poteſtate ab ipſo Deo tradita, quare hominum conſcientias procul dubio obligat. Nam qui reſiſtit Miniſtro Regis in eo, quod miniſtrat, & in quo Regis perſonam repræſentat, ipſimet Regi cenſetur omnium ad ſenſu reſiſtere, quod conſtat. 1. Reg. *Non te abiecerunt, ſed me.* Qui igitur Miniſtro Dei obſiſtit, qui legiſlator eſt, ac Princeps, ipſi Deo obſiſtit, quare tranſgreſſorem legis continuo labes, & culpa comitatur.

11 Dixerit aliquis, Ciuilem poteſtatem non eſſe immediate a Deo, ſed ab hominum cœtu, ſeu communitate; at vero potuiſſe Populum limitare Principi, aut Legiſlatori authoritatem, vt in foro animæ non obligaretur, ſed tantum pœnis Sanctionum teneretur.

Occurram, & interrogabo, an hæc facultas obligandi conſcientiam, quæ certo ineſt legi, tranſierit in Principem, vel manſerit in Populo. Si primum dixeris, plana omnia ſunt; Si ſecundum, non erit perfectus iſte Princeps, ſed quaſi mancus, aut mutilus gubernatiuam poteſtatem nõ abſolute habebit, ſed ſecundum quid. At vero Ciuilem poteſtatem neceſſario conſequitur illigandæ animæ facultas, quod nullo modo negari poteſt, & tunc præcipue, quando iure belli, & Victoriæ comparata eſt, quis enim tunc eam limitauit?

12 2. A ſuperiori Iure. Etenim tum Naturæ, tum Diuino etiam Iure præcipitur, leges iuſte poſitas ſeruari oporte-

re,quare,& naturæ præſcriptum,& Dei voluntatem contemni, qui illas violat,iux. illud Pet. *Hæc eſt voluntas Dei, & Chriſti Domini, quæcunq. dixerint vobis, facite &c.* Quare D. Thom. dicere conſueuerat, humanis legibus illigari conſcientiam, quatenus ab æterna, ac naturali lege partem capiunt, hoc eſt, Diuina voluntate, rationiſq. naturalis dictamine nituntur; Namq. ex naturæ principijs illud eſt, Præcepta Magiſtratum ſeruanda eſſe,ſi iuſta ſint.

Neq. vero culpa tranſgreſſoris inuadit primo, ac præcipue naturæ legem,ſiue æternam,namq. humana lex prior, ac proximior eſt,in quam committitur.

13 3. A fine; Quoniam illigandæ animæ facultas humanæ Reip. regimen maxime perficit, & ad allud perneceſſaria eſt; ex fine autem conijcimus efficaciam cauſæ præſertim in Moralibus.

Patet neceſſitas iſta in inferioribus,ac minus perfectis communitatibus, quibus illigandæ animæ facultas maxime conducit.

Sic enim Pater obligat filium, vt Deuter. 21. dignus morte iudicetur filius, qui non obediat præcepto Patris. Sic Maritus obligat vxorem, vnde Pau. Coloſſ. 3. *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino.* Et ad Epheſ. abſolute ſcribens. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino.*

Addita ratione, *quoniam vir caput eſt mulieris.* Atqui multo magis Reip. temporalis Rex caput eſt.Sic Dominus obligat ſeruum, vt in foro animæ obtemperare cogatur, ex Pau. ibid. & ſumitur ex 1.Pet.2.ex cap. 1. de Coniu.ſeru. idemq. in omnibus famulis manifeſtum eſt,quibus ex officio incumbit aliquid c.ſi Dominus 11.q.3.Demq. in omnibus Religionibus adeo quæritur hæc facultas, vt perfecte regi nequeant ea procul habita. Quæ igitur in communitate perfecta erit neceſſitas?

Et confir. ab effectu, quia omne Regimen, cui vis cogendi abeſt,inefficax eſt, & facile contemnitur,Coactio autem, cui facultas abſit obligandæ conſcientiæ, aut moraliter impoſſibilis eſt, aut valde imbecillis, qua nec ſatis iuuatur Reſp.

14 4. A definitione legis quæ Regula morum eſt. At illud pro-

proprium Regula habet dirigendi adeo, atq. obligandi, vt receſſus ab eadem ſit peccatum in Moribus, ſicut receſſus a Regula in naturalibus dicitur peccatum Naturæ, & in artibus peccatum artis.

Neq. obſtant ex aduerſo poſita. Et quæ leguntur Mar.7.Coloſ.2.& ad Ti.1.non contradicunt, fatemur enim doctrinas illas,aut conſtitutiones excludi oportere, quæ diuinis præceptis aduerſentur c.ſunt quidam, &c. contra ſtatuta 25.q.1.& per tot. Eodem modo tollitur, quod Math.25. Omnis plantatio, &c. Etenim ſi ad legem doctrinamq. humanam referantur hæc verba,illam tantum eradicant, quæ Cęlèſti Patri minime ſedeat.At eiuſd. Math.23.inuehitur Chriſtus in Phariſæos,& Scribas, qui proprias leges ſeruare ipſi recuſabant, cum cæteris impoſuiſſent, nec ſoluit aliquem eorum imperio,immo eorum iuſſa cuſtodiri apertiſſime præcipit. Quod Deut.12. habetur, tollitur ex his,quæ eod. cap. dicuntur. Prohibuit enim Deus, ne erigeretur Altare,niſi vbi eſſet Arca fœderis,& tamen Samuel, cum exiſteret templum in Sylo erexit lapidem in ſmaphat. 1. Reg. 7. & Elyas in Carmelo 3. Reg. 18. Et legalia,& cęremonialia antiquę Legis per aduentum nouæ legis ceſſarunt c. translato h. t. Cumq. in lege Moyſi licuerit quandoq. duas habere vxores Gen. 29. Deut. 21. Iudæi tamen hoc non ſeruant. Vide c. ideo 25. q. 1. Neq. vrget,quod Iac. 4. *Vnus eſt Legiſlator*, &c. inuehitur enim contra exultantes in ſuperbia, qui ſe abſq. gratia ſaluos fieri poſſe cõfidebant. Ad Pau. ibi *in libertate* &c. & ibi *lex iram* &c. colligitur ſolutio ex eod. liberauit enim nos Chriſtus per aduentum,atq. Euangelium à ſeruitute legis Moſaycæ, quæ iram operabatur ob peccatum primi Parentis. Ita ad hæc omnia ferre quæ Theologis deiudicanda relinquimus.

25 Ad 2.Arg. R. falſum eſſe, quod conſequitur duplici ex cauſa. Prima, quia lex humana eam vim habet, vt poſſit ſuo modo applicare Dei voluntatem, atq. in foro animæ obligationem parere. Quocirca negandum ſimpliciter, non poſſe homines, Legumue Conditores obligare in foro Dei, quoties enim operantur quaſi Miniſtri Dei, obligant etiam in foro Dei.Neq. hic plane inconuenit, vt Inferior obliget in foro ſuperioris, obligat enim poteſtate

ſibi

ſibi a Superiore tradita, & quia Superior ipſe vult, hoc
eſt, Deus, inferiori ſuo, hoc eſt, Principi, & quaſi Miniſtro
obedientiam præſtari, vnde illud. *Qui vos audit, me audit,*
*& qui vos ſpernit, me ſpernit* 2. quia profecto forum exter-
26 num quoad executionem, & iudicium diſtinguitur a fo-
ro interno; at vero poſita exterius lege de quocunq. actu,
redundat de eodem actu aliud iudicium valde diuerſum
in foro conſcientiæ, lex enim vbi promulgata fuit, actio-
nem, quam præcipit, aut prohibet, conſtituit in materia
neceſſaria virtutis, aut vitij, quocirca ſi quid aduerſus eam
admiſſum, aut prætermiſſum fuerit, peccatum eſt.
27 Ex his primo aperitur, quomodo valeat inferior iudi-
care in foro Superioris.
2. Quomodo homo cognoſcat, atq. iudicet ſimul de
cõſcientia alterius hominis; licet enim humanus Legisla-
tor non introſpiciat actus internos, nec poſſit directo ad
eos obligare, eoſue directo punire, poteſt tamen ponere
legem, qua conſcientiam hominis illigari intendat. Aliud
enim eſt, actum, de quo lex condita fuit, humanæ cogni-
tioni ſubiectum eſſe debere, aliud, obligationem ad talem
actum eodem modo cognoſcibilem eſſe. Vt igitur lex
humana conſcientiam obliget, non eſt neceſſe, vt per ſe,
ac directo de conſcientia iudicet, ſed illud ſufficit, vt de
externa actione, aut omiſſione cognoſcat. Poteſt autem
humanus Legiſlator in re propoſita cognoſcere, ac iudi-
care, poſſe lege lata hominum conſcientias religari, licet
eas non introſpiciat.
28 3. Quomodo poſſit in aliquo foro ligare, qui ſoluere
nequit in eodem. Etenim valeat in primis, quod nonnulli
conſiderant, non eſſe per ſe, aut neceſſario connexa liga-
re, & ſoluere.
At ſi forte neceſſario iungantur, quod ante legis tranſgreſ-
ſionem concedi poteſt, poſt tranſgreſſionem omnino ne-
gatur, vel diſtinguitur potius. Gemina enim trãſgreſſoris
offenſio eſt, altera legiſlatorẽ tãgit quã ideo cõdonare po-
teſt. altera alterius ordinis eſt, Deũq. reſpicit, qui ꝑ homi-
nẽ, quaſi Miniſtrum legem promulgauit, quã idcirco non
poteſt delere humanus Legiſlator, ſed ſolus Deus.
29 4. Quomodo Princeps ad pœnam obliget, quam in-
fligere non poſſit. Quia humanus Legiſlator nec directo,

nec

nec conſequenter obligare poteſt ad pœnam Inferi, aut Purgatorij ab ipſo infligendam, poteſt tamen conſequenter obligare ſub eadem pœna infligenda à Deo. Sic quandoq. Supremus Princeps pęnam aliquam lege lata indicit, quam ipſe ſolus infligere valeat, aduerſus eos, qui legibus, aut præceptis Miniſtrorum ſuorum non obtemperauerint.

30 5. Quomodo a temporali poteſtate ſpirituale vinculũ procedat; licet enim veriſſimum hoc ſit ex parte materiæ, nihilominus in materia temporali honeſtas quędam, atq. obligatio ſeruandæ legis reperitur, quæ conſcientiæ vinculum poſſit inijcere, quippe quodammodo immutatur materia illa à Ciuili poteſtate, cui hæc vis inſita eſt, atq; eleuatur ad ordinem altioris effectus.

Sed quicquid ſit de materia, ſat eſt, quod iam diximus, Ciuilem poteſtatem quandam diuinæ poteſtatis participationem eſſe, & virtute diuinæ legis, aut etiam naturalis præcipientis, vt Superiorum iuſſa faciamus conſcientiam ligare poſſe.

31 6. Demum, quomodo Ciuilium conſtitutionum fines huic obligationi reſpondeant; vt enim Ciuilis poteſtas finem ſuum conſequatur, perneceſſaria eſt ſpiritualis obligatio huiuſmodi ſine qua vix poſſit pax, atq; Iuſtitia Reip. conſeruari. Præterquamquod Ciuiles leges in ſua materia, & in ordine ad finem, quem intendunt, morum honeſtatem exigunt, quæ conſcientiam ligat.

Ad 3. Arg. R. ex his, quæ diximus, legis humanæ contemptorem ſimul æternam, ac naturæ legem violare, quibus iubemur, vt Superiorum iuſſa opere compleamus.

Sic prima confirm. tollitur; namq; inter diuina Mandata illud quoq; recenſetur, quod diximus.

32 Neq; vrget Secunda; Abſurdum enim non eſt, concurrere ſpirituales, ac temporales poenas pro eodem crimine. Sic, & furta, & homicidia, & adulteria non tantum à Deo puniuntur, verum etiam apud nos à Magiſtratibus. At inepte adiungitur, quod in fauorem inductum ſit, in odium torqueri; etenim temporalis poteſtas ad vtilitatem bonorum inuenta eſt, malorum vero perniciem, atq; interitum, quos publice intereſt, ſpiritualibus

libus, ac temporalibus pœnis ſubijci, vt à criminibus arceantur.

33 Ad 4. Arg. R. male comparari Magiſtratum Compromiſſario Arbitro, qui à partibus litigantibus eligitur. etenim Magiſtratus ordinatur à Deo, ac populo præficitur gladio cinctus in vltionem malorum, nec non poteſtate, atq; imperio munitus. Rom. 13. Quocirca non illud inſpici oportet, quidnam Pop. contulerit Principi, ſed qua poteſtate fuerit conſtitutus à Deo.

Nec ideo Vrget prima confirm. non enim quid homines ſentiant, ſed quid Deus præcipiat, conſiderari oportet, neq; rurſus diuina vox ex communi hominum ſenſu, præſertim illiteratorum æſtimanda eſt.

34 Ad 2. R. nihil referre, quo animo Subditi legem ſibi à Magiſtratu tanquam Dei Miniſtro præfinitam acceperint; verum potius quo animo accipere debuerint, quæq; fuerit Dei, & Conditoris voluntas. Et quod ante diximus non inconuenit, temporales, ſpiritualeſq; pœnas ſimul in eadem re concurrere.

35 Ad 3. R. temporales pœnas plus metui, quam æternas ab impijs hominibus, & qui Deum in Cœlis habitare, & inferiora hæc ſpectare non credunt. Cæterum pij, Religioſiq; homines qualis quiſq; bonus Ciuis eſſe debet, & præſumitur, longe pluris faciunt æternas, quam temporales. Et præterea bonus Legiſlator præcauere debet, ne ſubditorum ſuorum conſcientiæ aliter, quam Reip. vtilitas, atq; ſalus, verbumq; Dei admittit, conſtringantur, atq; illaqueentur; cæterum ad bonas leges, Reiq; publicæ ſalutares vult ipſe Deus Ciuium, ac Subditorum conſciẽtias adſtringi Rom. 13.

Ad 4. R. obligationem conſcientiæ abſq. ratione cultus manere poſſe, quod pertinet ad Ciuiles leges, nam iſtæ, cum ſint de rebus ſuo genere medijs, niſi a magiſtratibus præceptæ fuiſſent, fieri, aut omitti abſq. vlla Dei offenſio-
36 ne poſſent. At ſub ratione cultus obligant opera illa, quæ propter Dei mandatum exequi neceſſe ſit, licet nullius creaturæ mandatum, aut reſpectus accedat. Poni etiam duo capita falſum eſt, quoniam animarum cura Imperatori non demandatur, nec eas ligare poteſt, niſi quatenus, vt Dei Miniſter legem condit, quæ diuino ore ab eo promulgari dicitur.

Ad

Ad 5. Arg. R. ea, quæ Ciuilibus legibus vetantur, eo ipſo, quo Ciuili decreto prohibeatur, iure etiam diuino, naturæq. inhiberi, quibus præcipimur Superiorum iuſſa ſeruare, eodemq; modo confirmatio ſubmouetur.

Ad 6. diſtinguenda maior; Aut enim intelligimus, minutiſſimam legem diuinam magis obligare, ideſt, ſub maiori peccato, quam humanam, & ſic falſa eſt. Aut magis obligare, ideſt firmius, & veriſſima eſt, quoniam lex diuina immutabilis, humana ſecus.


*ERror in legislatiua Eccleſiæ poteſtate.* 1
*Pontificia lex hominum conſcientias ligat.* 2
*Religionum prelati precipiunt vltra Regulas.* 3
*Pontificia lex quando non obliget animam.* 4
*Iniuſta lex nec lex quidem eſt.* 5
*Iniuſta lex bifariam capitur.* 6
*Iniuſta lex quando ſeruari poſſit, aut contra.* 7
*Obſeruatio legis iniuſtæ imminente ſcandalo.* 8
*Iniuſtæ vectigalium leges non obligant.* 9
*Lex in præſumptione fundata quatenus liget in foro animæ diſtinguitur.* 10
*Preſumptio duplex conſtituitur ex Theol.* ibid.
*Lex fundata in præſumptione præſuppoſitiua, ſiue facti, an obliget.* 11
*Lex fundata in præſumptione definitiua, aut moralis periculi ſemper obligat.* 12
*Diſtinctionis ratio colligitur.* 13
*Quomodo vtraq. preſumptio dignoſcatur.* 14


1 IN 2. quæſt. de lege Canonica, difficultas eſt apud eos tantum, qui impie dicunt, non eſſe in eccleſia poteſtatem, qua nouam obligationem imponat, ſed qua veterem diuinam proponat, aut exponat. Quod ſi verum eſſet, auferretur prorſus ab Eccleſia Legislatiua poteſtas, & maneret ſola quædam poteſtas declaratiua Superioris iuris. Quod plane impium.

2 Atqui Pontificia lege obligari hominum conſcientias, indubitatum eſt, cum eædem Ciuili obligentur. Quod etiam maxime aperitur, quando plurimæ Canoni-

cæ

cæ leges inueniuntur latæ cum ſententia excommunicationis, quæ lethale peccatum neceſſario præſupponit. Math. 18. c. ſi habes 24. q. 3.

3 Vnum obijcitur, Religionum Prælatos nihil poſſe præcipere, niſi intra earundem Religionum Regulas, quare nec Prælatos Eccleſiæ poſſe aliquid præcipere, niſi intra limites legis Chriſti, neq. igitur poſſe nouas condere leges, quæ obligent in conſcientia.

Sed falſum eſt, quod præmittitur, poſſunt enim Religionũ Prælati nouas imponere leges obligantes conſcientiam, ſi quæ eorumdem fini, ac Regulæ apte reſpondeant, ſicut Eccleſiarum Prælati præcipere omnia poſſunt, quæ æternæ ſaluti conſequendæ neceſſaria videantur, aut ſaltem opportuna iuxta Regulam, ſiue inſtitutionem traditam a Chriſto Domino. Ita vnaquæq. lex Canonica, aut Ciuili ad ſui menſuram obligat conſcientiam.

4 Excipitur 1. ſi Pontificia lex diſtinguat inter forum fori, & forum Poli, tunc enim conſcientiam non obligat. Ita plane diſtingui volunt in c. tua de ſponſal. in c. literis cum ſeq. De eo, qui cog. conſ. vx. ſuæ cap. Inquiſitioni de ſent. excomm. cap. fin. ibi *ſed iure fori, non iure poli* 17. quæſt. 4.

Addunt pleriq. ſi lex aperte non diſtinguat, idem nihilominus exiſtimari oportere, vbi cauſa diſtinguendi ſit, quod ſentio, quicquid nonnulli contradicant.

5 Excipitur 2. vbi lex Pontificia, aut Ciuilis iniuſtæ ſint, neq. enim obligant in foro animæ, quippe iniuſta lex nec lex quidem eſt. Aug. lib. 1. de lib. Arbitr. c. 5. & de vera Rel. cap. 31. Quod enim lex humana æternæ legis participatio ſit, quod rationi conſentire debeat, quod eius ferendæ poteſtas profluat à Deo, cui omne illud diſplicet, quod æquitati repugnat, cęteriſq. iuſtitiæ partibus deflectit, omnia hęc facile indicant, legem non eſſe, quæ iniuſtitiam contineat.

Iuſtitiam vero, aut iniuſtitiam legis ſecundum omnes Iuſtitiæ partes, ſiue ſpecies conſiderat Suar. de ll. lib. 1. c. 9. n.

6 13. Ad rem vero quod attinet, ſtatuo ego, iniuſtam legem bifariam accipi oportere. Aut quia rem turpem boniſq; moribus contrariam præcipiat. Aut quia rem præcipiat, quæ bona ſit, verum Legiſlatoris poteſtatem, vireſq; excedat.

7 Hinc

7 Hinc duæ propoſitiones, ſiue Regulæ. Altera eſt, legem priori modo iniuſtam ſeruari nec debere, nec poſſe, quia *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Altera, legem alio modo iniuſtam ſeruari poſſe, verum neceſſario non debere. In dubio vero reſpondet Salas de ll. q. *96.* tract. 14. diſp. 10. Sect. 2. et Sanch. Decal. lib. 1. c. 10. Volunt autem, quando ambigua res eſt, cuſtodiendam eſſe legem, vbi manifeſta ſit Legislatoris authoritas, hæc enim poſſidet.

8 Eadem diſtinctione conciliatur, quod afferunt de obſeruatione legis iniuſtę, cui ſcandalum immineat. Volunt enim ſecluſo ſcandalo, iniuſtam legem ſeruari nec debere, nec poſſe, vt dictum eſt, cæterum, ſi periculum ſcandali ſit, legem quancunq; licet minus iuſtam vbiq; ſeruandam eſſe, quia, vt ſcandalum vitetur, debet quiſq; iuri ſuo concedere. c. 2. de Ho. op. nunc. c. nihil de præſcript. Exiſtimo vero, ſi lex eo capite iniuſta ſit, quod rem turpem, aut iniquam contineat, nuſquam obtemperandum eſſe, qualiſcunq; ſit detrimenti, aut ſcandali metus, quia rem turpem, atq; iniquam committere ob quencunq; exitum non licet. Quod ſi alio capite iniuſta ſit, quod Legislatoris poteſtatem excedat, & poteſt parere Subditus, & tenetur, ſi quod ſcandalum prope ſit, dummodo iniuſtitiæ non cooperetur. Ita diſerte habet S. P. in d. c. 2. de op. no. Nun. Vide Bellarm. de Rom. Pont. lib. 4. c. 15. & adde nonnulla cum Bero. num. 226. pulchre autem opponit, & ſoluit Suar. ibid. num. *6.*

9 Hinc patet, iniuſtas vectigalium leges poſſe impune cõtemni, ac violari in foro animæ. De qua re latius Scrib. in l. vectigalia ff. de Publica. & Vectig. & in cap. ſuper quibuſdam de ver. ſig. cum ſimil. Suar. de ll. lib. 5. cap. 14. & 18. Salas de ll. q. *96.* tract. 14. diſp. 15. Sect. 10. Mich. Sal. de Vectig. art. 3. Contr. *6.* & ſeq. &c.

Excipitur 3. Quando lex in falſa præſumptione fundatur, nõ enim ligat in foro animæ. Innoc. in cap. pleriq. num. 3. de immun. Eccl. Fely. hic num. 4. Dec. 1. lect. num. 18. Sot. 1. de Iuſt. & Iu. q. *6.* art. 4. Suar. cum alleg. de ll. lib. 3. cap. 23. n. 1. vbi de comm. Salas cum alleg. de ll. q. *96.* tract. 14. diſp. 10. Sect. 4. num. 18. latiſs. Menoch. de præſumpt. lib. 1. q. 89.

Nam

Nam in foro animæ de ſola veritate contenditur, præſumptionibus excluſis all. cap. is qui fidem, &c. tua nos de ſponſal. & conſcientiæ forus ad fines Iuris naturalis, & gentium reducitur. Conſcientia autem non ligat, quem natura diſſoluit.

10 Veritas vnica diſtinctione aperitur, nam duplex præſumptio eſt, altera, quam præſuppoſitionis, vel facti Theologi appellant, altera, quam dicunt definitionis, aut periculi moralis. Præſumptio facti, aut præſuppoſitionis eſt, quando Legislator præſumit, in tali caſu, vel cum talibus circumſtantijs hoc, vel illud accidere ſolere, licet non definiat hic, & nunc ita contigiſſe; & quia in omnibus euentibus idem ſuſpicatur, ex cauſa huius ſuſpicionis, aut præſumptionis legem aliquam conſtituit.

Huiuſmodi præſũptio illa, quã habuerunt Sũmi Pont. in c. veniens 2. & in c. is qui fidem de ſponſal. ſtatuũt. n. ſponſalia de futuro in matrimonium legitimum. tranſire, ſi carnalis copula ſequatur; non quod illa abſq; nouo conſenſu ſufficiat, quoniam de ratione Matrimonij eſt abſolutus conſenſus de præſenti, ſed quia, ne præſumat Eccleſia ſponſos cum læthali crimine conueniſſe, legitimum conſenſum coniugalem præſumit, non modo vt plurimum, verum etiam in omni ſingulari euentu.

Præſumptio autem definitionis, aut moralis periculi eſt, quando in tali euentu definitur, hoc, vel illud ita factum fuiſſe; vel quando legislator non præſumit in ſingulis caſibus, ſed, quia prudenter iudicat, in re aliqua non raro fraudes, aliaue incommoda contingere poſſe, vniuerſalem legem conſtituit, qua fraudes, & incommoda, quo fieri poſſit cautius arceantur. Sic præſumit quandoq; Legislator in aliquo actu dolum, aut timorem, aut imperfectionem conſenſus ex defectu iudicij, quia plerunque ita fieri contingit in ſimili euentu quare ſemper vrget morale periculum, fieri poſſe, quod præſumitur. Huiuſmodi eſt præſumptio legis, quæ votum profeſſionis irritat, quod ante legitimum tempus ætatis, aut probationis emiſſum fuerit, & conſim.

11 In priori membro diſtinctionis ſit prima aſſertio. Quãdo lex fundatur in præſumptione præſuppoſitiua, vel facti, non obligat, ſi præſumptio facti, aut veritas non ſubſi-

ſubſiſtit; nam ſublata veritate tollitur fundamentum legis, immo & materia eiuſdem, vti cõſtat memorato exẽplo, ſi lex præcipiat permaneri cum muliere cognita poſt ſponſalia, & contingat non fuiſſe cognitam affectu maritali, legis obligatio non vrget conſcientiam, quia re vera ceſſat materia eius, quippe intentio legis eſt pręcipere acceſſum ad coniugem, at illa coniux non eſt.

Sic lex iubet obtemperari ſententiæ, quia præſumit in ea iuſtitiam, quæ ſi forte deficiat, obligatio legis, & ſententiæ non vrget animam.

12 In 2. membro ſit 2. aſſertio. Quando lex fundatur in præſumptione definitiua, aut moralis periculi, ſemper conſcientiam obligat, licet in particulari caſu factum nõ ſit periculo conſentaneum, nec reuera contingat, quod timeri poterat.

Namq. humanæ leges aptantur ad ea, quæ frequentius accidunt l. nam ad ea ff. de ll. D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 9. quod ſatis eſt, vt generaliter obligent. Sic lex, quæ profeſſionis votum ante legitimam ætatem emiſſum irritat, ab ea præſumptione cauſam capit, vt minori ætati deſit perfecta animi deliberatio; & nihilominus licet profeſſus perfectum iudicium, ac deliberationem habuerit profeſſio nulla eſt, atq. inualida. Sic deniq. lex, quæ ſtatuit, votum ab Impubere emiſſum poſſe à Parente irritari, vigorem ſemper habet in foro animæ, licet certo conſtiterit, puerum in ea ætate prudenter deliberaſſe.

13 Ex his per pulchra diſcriminis ratio colligitur inter vtranq. præſumptionem; vbi enim moralis periculi præſumptio eſt, manet ſemper fundamentum legis, quia periculum ſemper manet, licet non ſequatur effectus; &, magis proprie loquendo, ratio illa periculi magis ex certo, ac vero iudicio, quod Legiſlator de periculo habuit, effluxiſſe videbitur, quam ex præſumptione. At vbi præſuppoſitiua, vel facti eſt, non tam periculũ, quam ipſummet factum videtur fundamentum legis, quocirca, ſi facti veritas deficiat, neceſſe eſt, obligationem quoq. legis prorſus auferri.

14 Vix autem dignoſci poteſt, vtra præſumptio cauſam Legiſlatori dederit; hoc itaq; ex materia, & verbis legis, iuncto vſu, atq. interpretatione Doctorũ colligi poſſe docet Suar. ibid.

*Poena infligitur a Iudice in foro contentioſo, & cur?* 1
*Lege humana quid recte ac præcipiatur.* 2
*Quæcunq. pœna licet acerbiſſima imponitur a Iud.* 3
*Nemo non accuſatus, aut conuictus condemnandus.* 4
*Iudex iuſtum animatum dicitur.* 5
*Pœna in paſſione tota eſt.* 6
*Lex humana qualis eſſe debeat.* 7
*Cenſuræ effectus qui.* 8
*Cenſura medicinalis pœna.* 9
*Vis pœnalis legis quæ.* 10
*Lex humana quando ad pœnam obliget ante ſententiam.* 11
*Legiſlator etiam ad agendum obligat.* 12
*Perinde eſt quandoq. ad agendum quid ſimpliciter obligari, ac pœnale agendum.* 13
*Pœnæ priuatiuæ quid habeant præcipuum.* 14
*Quod hactenus factum non eſt, ſignum præbet, moraliter effici non poſſe.* 15
*Excomm. ipſo facto incurritur ante ſententiam.* 16
*Idem quandoq. ſimul agit, & patitur.* 17
*Pœna interdum in actione conſiſtit.* 18
*Cenſuræ facilius incurruntur ante ſententiam, quam aliæ pœnæ.* 19
*Cenſuræ etiam propriorum bonorum priuationem inducunt.* 20
*Qualiter ſe gerat Eccleſia, dum communibus bonis priuat.* 21
*Irregularitas non eſt Cenſura.* 22
*Irregularitas vindictam ſemper continet.* 23
*Pœna omnis medicinalis eſt.* 24

IN tertia q. de lege pœnali, tam Pontificia, quam Ciuili duo ponit Abb. num. 10. Alterum eſt, pœnam lege poſitiua impoſitam in foro animæ non eſſe neceſſario luendam, at illud ſufficere, ſi pro delicto Sacerdos ſalutarem pœnitentiam impoſuerit. Alterum, ſi lex ipſo facto pœnam indixerit, vt quia ipſo facto publicauerit bona alicuius, non poſſe qui deliquit, bona publicata tuta conſcientia retinere, quoniam ius fiſco quæſitum eſt.

1 Vtrunq. probat; &, quod primum, duplici ratione; Tum quia pœna infligitur a Iudice in foro contentioſo, &

in hoc 13. q. 2. Tum quia infligitur ad terrorem l. aut facta in fin. ff. de Pœn. quod in foro animæ neceſſarium non eſt.

Sed neutra valet. Non prior, quia data Iuſtitia legis nil prohibet per eam obligari conſcientiam, licet verba dirigãtur ad Iudicem, quoad pœnam. Non poſterior, quia magis infligitur pęna, vt delictum puniatur. De vtroq. Dec. 1. lect. num. 20.

Sit igitur quæſtio; Vtrum poſſit Legislator condere legem pęnalem, quæ in conſcientia obliget ad ſoluendam, aut exequendam pęnam ante Iudicis condemnationem, ſiue executionem.

Quinq. ſunt inter ſe diſſidentes Interpretum ſentẽtiæ, quarum duæ extremæ, cęteræ mediæ.

